

Anton Landersdorfer

## Die Ad-limina-Berichte des Passauer Bischofs Heinrich von Hofstätter (1839-1875)



Über 35 Jahre, nämlich von 1839 bis zu seinem Tod am 12. Mai 1875, hat Heinrich von Hofstätter<sup>1</sup>, zuvor Domkapitular in München, die Geschicke des Bistums Passau geleitet – in recht bewegten, von diversen Auf- und Umbrüchen geprägten Zeiten.

\* Meinem Lehrstuhlteam (Dr. Claudia Schober, Ulrike Oerterer, Laura Egginger und Martina Scheid) sei für alle Unterstützung herzlich gedankt.

<sup>1</sup> Zu Hofstätter, geboren am 16. Februar 1805 in Aindling (Oberbayern), am 5. August 1833 zum Priester und – nach königlicher Nomination (1. Juli 1839) und päpstlicher Präkonisation (23. Dezember 1839) – am 25. Februar 1840 zum Bischof geweiht, gestorben am 12. Mai 1875 in Passau: Jakob Leitner, Heinrich, Bischof von Passau und sein Wirken, Passau 1865; J[ohann] M[ichael] Hauptmann, Heinrich, Bischof von Passau. Ein kurzer Abriss seines Lebens und Wirkens, Passau 1875; Franz Xaver Zacher, Heinrich von Hofstätter. Utr. Iuris Doctor. Bischof von Passau 1839-1875, Passau 1940; August Leidl, Heinrich von Hofstätter (1805-1875). Ein Bischofsleben im Zeitalter der Restauration, in: Ostbairische Grenzmarken 17 (1975) 9-18; Oswin Rutz, Obrigkeitliche Seelsorge. Die Pastoral im Bistum Passau von 1800 bis 1918, Passau 1984, passim; August Leidl, Hofstätter, Heinrich von (seit 1850 bayerischer Personaladel) (1805-1875), in: Ders., Das Bistum Passau zwischen Wiener Konkordat (1448) und Gegenwart, Passau 1993, 166-173; Raimund Maier, Bischof Heinrich von Hofstätter (1839-1875) und seine Kunstschöpfungen, Winzer 2001, 164-188; Ders., Bischof Heinrich von Hofstätter (1839-1875) als Kunstsammler, in: Faszination Mittelalter. Himmlisches Streben, v. Alois Brunner und Max Brunner, Passau 2002, 147-152; Ders., Heinrich von Hofstätter – Bischof von Passau 1839-1875, in: Ostbairische Lebensbilder II, Passau 2005, 67-81; Herbert W. Wurster, Das Bistum Passau und seine Geschichte, Bd. 4: Vom Ende der „Alten Kirche“ 1803 bis zur Gegenwart, Strasbourg 2010, 11-16.

Streng asketisch in der Lebens- und höchst autoritär in der Amtsführung, richtete der promovierte Jurist dabei sein Hauptaugenmerk zum einen auf den geistlichen Nachwuchs, den Klerus und die Seelsorge, zum anderen auf die Orden, allen voran die Redemptoristen und die Englischen Fräulein; hinzu kam ein starkes Interesse am kirchlichen Bau- und Kunstschaffen. Freilich polarisierte Hofstätter mit seinem eigenwilligen, zudem von wenig Flexibilität gekennzeichneten Regierungsstil sehr stark, so dass Konflikte in mancherlei Hinsicht nicht ausblieben.

Wie sich das Bistum Passau während des ungewöhnlich langen Wirkens des umstrittenen, schon von Zeitgenossen sehr kontrovers bewerteten Oberhirten<sup>2</sup> entwickelt und welche konkreten Akzentsetzungen er in all den Jahren vorgenommen hat, darüber legte Hofstätter, wie vom Heiligen Stuhl in einem vierjährigen Intervall gefordert<sup>3</sup>, in seinen insgesamt neun, in lateinischer Sprache abgefassten Ad-limina-Berichten detailliert Rechenschaft ab<sup>4</sup>. Konkret war das, mit zeitlicher Verzögerung wegen Unkenntnis des Berechnungsmodus für das 64., 65. und 66. Quadriennium, in den Jahren 1844, 1848 und 1851 und von da an immer fristgerecht 1853, 1857, 1861, 1865, 1869 und 1873 der Fall<sup>5</sup>. Zwei dieser Dokumente übergab der Passauer Oberhirte persönlich 1844 Papst Gregor XVI. bzw. 1853 Papst Pius IX.<sup>6</sup>, während die anderen mit aus unterschiedlichen Gründen erbetener Dispens jeweils von einem Delegaten ausgehändigt wurden.

Was den Inhalt der einzelnen Relationen angeht, so hielt sich Hofstätter in den ersten sieben stets an das vorgegebene Schema<sup>7</sup>, mit der Konsequenz, dass sie alleamt sehr umfangreich ausfielen und vielerlei Wiederholungen aufwiesen. Über die daraufhin 1862 an ihn ergangene Mahnung, „sich nur auf Neues zu konzentrieren“<sup>8</sup>, setzte sich der Passauer Oberhirte im nächsten Bericht drei Jahre später jedoch hinweg; erst 1869 und 1873 berücksichtigte er nicht mehr das bisherige Fragebogensystem, sondern brachte die ihm relevant erscheinenden Ereignisse und Vorgänge in

<sup>2</sup> Joseph Görres (1776-1848) bezeichnete ihn „als den besten Bischof Deutschlands“, während andere, „die den Bischof bekämpften und mundtot machen wollten“, behaupteten, „er sei geisteskrank“. Johann Nepomuk Sepp, Görres und seine Zeitgenossen 1776-1848, Nördlingen 1877, 576 bzw. Zacher (wie Anm. 1) 552.

<sup>3</sup> Siehe dazu: Johann Hirnsperger, Art. Visitatio liminum (Apostolorum), in: Lexikon für Theologie und Kirche X<sup>3</sup> (2001) 815f.

<sup>4</sup> Originale der Berichte im: Archivio Segreto Vaticano, Congr. Concilio, Relat. Dioec. 624B.

<sup>5</sup> Näheres bei: Maria Teresa Börner, Die *ad limina*-Berichte der Bischöfe des Königreiches Bayern. Untersuchung und kritische Betrachtung der Quellengattung, München 2009, 194-200.

<sup>6</sup> Zu den beiden Romreisen Hofstätters siehe: Zacher (wie Anm. 1) 300-307.

<sup>7</sup> Siehe unten.

<sup>8</sup> Börner (wie Anm. 5) 198.

freier Form zu Papier, allen voran die massiven Probleme mit den Altkatholiken, die Umtriebe des kirchenfeindlichen Journalisten Ludwig Richard Zimmermann in Passau und die Vertreibung der Redemptoristen aus Altötting im Zuge des Kulturkampfes.

Selbst wenn diese beiden Relationen ohne Zweifel die interessantesten Einblicke in die schwierige Situation im Bistum Passau nach dem Ersten Vatikanum (1869/70) gewähren, lassen sich den sieben anderen „ungeachtet ihrer Schablonenhaftigkeit“<sup>9</sup> ebenfalls beachtenswerte und aufschlussreiche Informationen zu Hofstätters Amtszeit entnehmen. In Anbetracht all dessen soll eine vollständige Publikation derselben erfolgen, nicht zuletzt damit sie von der wissenschaftlichen Forschung künftig für unterschiedliche Fragestellungen ausgewertet werden können.

### **Schema der Relationen (1844-1865)<sup>10</sup>**

§ I. De primo relationis capite.

De statu ecclesiae Passaviensis materiali.

I. Institutio.

II. Confinia.

III. Privilegia et praerogativae episcopatus.

IV. Numerus civitatum, oppidorum et locorum, qui episcopatu subjecti sunt.

V. Status ecclesiae cathedralis.

VI. Status ecclesiarum collegiatarum.

VII. Status et numerus ecclesiarum parochialium, nec non et aliarum ecclesiarum et oratoriorum.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum quam mulierum.

IX. An adsit in dioecesi seminarium clericorum?

X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum, quae sunt in episcopatu.

XI. An adsint montes pietatis?

---

<sup>9</sup> Karl Hausberger, Das Regensburger Klerikalseminar im Spiegel der bischöflichen Romberichte von 1781 bis 1854, in: *Salus animarum suprema lex. Festschrift für Offizial Max Hopfner zum 70. Geburtstag*, hg. v. Ulrich Kaiser, Ronny Raith und Peter Stockmann, Frankfurt a. M. u. a. 2006, 171-184, hier: 171.

<sup>10</sup> Zum Schema allgemein: Börner (wie Anm. 5) 102f.

§ II. De secundo relationis capite ad meipsum pertinente.

I. An residentiae praeceptum impleverim?

II. An et quoties dioecesim visitaverim?

III. An per me vel alium episcopum sacras ordinationes expleverim et confirmationis sacramentum administraverim?

IV. An et quoties synodum coëgerim?

V. An verbum Dei per meipsum praedicaverim, an per alios viros idoneos?

VI. An habeam deponitorium poenarum et mulctarum pecuniarium et an eaedem piis usibus fuerint applicatae?

VII. Quanam taxa, et an innocentiana observetur?

VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii, et jurisdictionis ecclesasticae, nec non tuendae libertatis ecclesiarum?

IX. An aliquod pium opus peregerim pro ecclesia, pro populo aut pro clero?

§ III. De tertio relationis capite ad clerum saecularem pertinente.

I. An canonici ceterique choro addicti cathedralis ecclesiae choro jugiter intersint?

II. An ultra matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrent missam conventualem, eamque applicent pro benefactoribus?

III. An suas habeant constitutiones, et punctualiter observant?

IV. An qui obtinendam praebendam poenitentiarum et theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?

V. An parochi in suis parochiis resideant?

VI. An librum matrimoniorum et baptizatorum aliosque libros, quos ad normam ritualis romani retinere debent, retineant?

VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?

VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?

IX. An saltem dominicis et aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?

X. An singuli parochi, ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto missam applicent pro populo eorum curae commisso?

XI. An et quae praemittantur antequam quis ad tonsuram et ordines minores admittatur, et an sacris ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?

XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?

XIII. An habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur?

XIV. Quinam sint mores cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?

§ IV. De quarto relationis capite ad clerum regularem pertinente.

§ V. De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

§ VI. De sexto relationis capite ad seminarium spectante.

I. Quot sint in seminario alumni?

II. An ecclesiastica disciplina recte instituantur?

III. Quibus studiis vacent?

IV. An cathedrali et aliis locis ecclesiae diebus festis inserviunt?

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a me electorum, necessaria pro recto regimine statuerim?

VI. An illud aliquando visitem et operam dem, ut constitutio adimpleatur?

VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in ejus solutione?

§ VII. De septimo relationis capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

I. An in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum missarum et anniversariorum?

II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta?

III. An quolibet anno fecerim reddi rationem ab horum locorum administrationibus?

IV. An montem pietatis etc.

V. An infirmorum hospitalia visitaverim et reddituum rationes exegerim etc.?

§ VIII. De octavo relationis capite ad populum pertinente.

I. Quinam sint populi mores, et an pietate proficiat?

II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae Consilio et adjutoris Sedis apostolicae indigeat?

§. IX. De ultimo relationis capite ad postulata spectante.

### **Text der Relationen (1844-1873)**

*Die Abschrift des Textes erfolgte in der Regel buchstabengetreu, die Zeichensetzung wurde teils übernommen, teils modernen Grundsätzen angepasst. Nicht eindeutig lesbare Wörter sind durch [?] gekennzeichnet. Auf offensichtliche Verschreibungen ist nur in gravierenden Fällen mit [!] hingewiesen. Um deutlich zu machen, welche Veränderungen Hofstätter in der nächsten Relation vornahm, sind neue Passagen sowie Wörter und Zahlen farblich hervorgehoben.*

### **1844**

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes ab Henrico Episcopo passaviensi humillime exhibita.

§ I.

*De primo Relationis capite.*

*De statu Ecclesiae passaviensis materiali.*

*I. Institutio.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a saeculo octavo i. e. anno 737 cum devastata ab Huñis civitate Laureacensi, quae erat sedes Episcopalis, Episcopus Vivilo vel Wufilo<sup>11</sup> nomine unacum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum

---

<sup>11</sup> Zu Vivilo (+ 746/7): Die Regesten der Bischöfe von Passau, Bd. I: 731-1206, bearb. v. Egon Boshof, München 1992,1-4 (Nr. 1-8).

Duce Odilone<sup>12</sup> liberalissime exceptus fuisset. Extenderant se fines Dioeceseos Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua ad ipsam quoque pertinebat, usque in Pannoniam et Moraviam, quarum regionum populi usque ad adventum Sancti Bonifacii<sup>13</sup> quoad pastorale munus tunc temporis a sede passaviensi dependebant.

Sanctus Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem et occidentalem partem novis creatis Episcopis submitit, quibus novas sedes nempe Salisburgam, Frisingam et Ratisbonam assignavit<sup>14</sup>.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-passaviensis se extendit, cum Moraviam et partem Pannoniae includeret, usque dum ad finem saeculi noni et initium decimi sub Episcopo Passaviensi Richardo<sup>15</sup> Moravia proprios Episcopos obtinuit<sup>16</sup>.

Tandem sub Episcopo nomine Christiano<sup>17</sup>, qui ab anno 991 usque ad annum 1013 Ecclesiam passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano I<sup>18</sup> Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatus fundati fuere<sup>19</sup>; et anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem Episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen, ut ad ultima usque tempora etiam Vicarius generalis, ab Episcopo Passaviensi constitutus, Viennae resideret; qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam et Lincium remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra Onasum, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia Beatae Virginis Mariae ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret<sup>20</sup>. De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars quae vocatur Sylva viennensis cum Archiepiscopatu viennensi unita

<sup>12</sup> Zu Odilo (+ 748), seit 736 bayerischer Herzog: Wilhelm Störmer, Art. Odilo, in: Lexikon des Mittelalters VI (1993) 1351.

<sup>13</sup> Zu Bonifatius (+ 754): Josef Semmler, Art. Bonifatius (Winfrid), in: Lexikon des Mittelalters II (1983) 417-420.

<sup>14</sup> Siehe dazu: Wilhelm Störmer, Die Gründung kanonischer Bischofssitze 739 durch Winfrid-Bonifatius und Herzog Odilo, in: Walter Brandmüller (Hg.), Handbuch der bayerischen Kirchengeschichte, Bd. I/1, St. Ottilien 1998, 40-48.

<sup>15</sup> Zu Richar(d), von 899 bis (902) Bischof von Passau: Regesten (wie Anm. 11) 46-48 (Nr. 174-182).

<sup>16</sup> Siehe dazu: Josef Matzke, Mährens frühes Christentum, Königstein/Taunus 1969, 49-51; Heinz Dopsch, Passau als Zentrum der Slawenmission. Ein Beitrag zur Frage des „Großmährischen Reiches“, in: Südostdeutsches Archiv 28/29 (1985/86) 5-28.

<sup>17</sup> Zu Christian, von 991 bis 1013 Bischof von Passau: Regesten (wie Anm. 11) 76-81 (Nr. 252-270).

<sup>18</sup> Zu Stephan I., von 1001 bis 1038 König von Ungarn: János M. Bak, Art. Stephan (István) I. d. Hl., in: Lexikon des Mittelalters VIII (1997) 112-114.

<sup>19</sup> Erzbistümer Esztergom (Gran) und Kalocsa. – Siehe dazu: Thomas v. Bogyay, Grundzüge der Geschichte Ungarns, Darmstadt<sup>3</sup>1977, 36f; Gabriel Adriányi, Geschichte der katholischen Kirche in Ungarn, Köln-Weimar-Wien 2004, 21-24.

<sup>20</sup> Zur Errichtung des Bistums Wien: Viktor Flieder, Stephansdom und Wiener Bistumsgründung. Eine diözesan- und rechtsgeschichtliche Untersuchung, Wien 1968, 214-246.

fuit<sup>21</sup>. Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub Imperio Josephi II<sup>22</sup> Austriaci, Romani Imperatoris, qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi et Principe Cardinali de Firmian<sup>23</sup> omnes ditionis suae Ecclesias ab episcopalis Ecclesiae Passaviensis Auctoritate avulsit, atque Lincii civitate, in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit<sup>24</sup>. Hoc autem tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passaviensis in austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus et Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento retineret, donec Princeps Episcopus Comes de Auersperg<sup>25</sup>, Cardinalis de Firmian successor, petitionibus Imperatoris unacum Capitulo consentiens pro dotatione novi Lincensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret<sup>26</sup>.

Quamquam haec omnia florentem hanc ac antiquissimam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen, divina sic sapientia disponente, ei reservata fuerunt detrimenta.

Annus Saecularisationis 1802 omnia evertit, non tantum, quae a mundo pretio habentur, ablata, thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia et ornamenta direpta, vel dispersa; sed etiam Anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret, sed, quod maxime etiam ex manifestis rationibus plangendum, Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun<sup>27</sup>, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede tandem annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem in regno Bohemiae coëmptam, secessit, ibique per annos 23 commoratus anno 1826, 22<sup>do</sup> Octobris obiit. Huic successit in

---

<sup>21</sup> Siehe dazu: Rudolf Weiß, Das Bistum Passau unter Kardinal Joseph Dominikus von Lamberg (1723-1761). Zugleich ein Beitrag zur Geschichte des Kryptoprotentismus in Oberösterreich, St. Ottilien 1979, 94-99.

<sup>22</sup> Zu Joseph II., von 1765/80 bis 1790 Kaiser: Karl Gutkas, Kaiser Joseph II., Wien 1989.

<sup>23</sup> Zu Leopold Ernst von Firmian, von 1763 bis 1783 Fürstbischof von Passau: August Leidl, Art. Firmian, in: Erwin Gatz (Hg.), Die Bischöfe des Heiligen Römischen Reiches 1648 bis 1803. Ein biographisches Lexikon, Berlin 1990, 113-117.

<sup>24</sup> Zur Errichtung des Bistums Linz: Mathias Hiptmair, Geschichte des Bisthums Linz, Linz 1885, 3-45. – Vgl. auch August Leidl, Das Ende des Großbistums Passau. Die gewaltsame Abtrennung des österreichischen Teiles im Jahre 1783, in: Ostbairische Grenzmarken 25 (1983) 21-30.

<sup>25</sup> Zu Joseph Franz Anton von Auersperg, von 1784 bis 1795 Fürstbischof von Passau: August Leidl, Art. Auersperg, in: Gatz (wie Anm. 23) 19-21.

<sup>26</sup> Ebd. 20.

<sup>27</sup> Zu Leopold Leonhard von Thun, von 1797 bis 1826 Fürstbischof von Passau: August Leidl, Art. Thun, in: Erwin Gatz (Hg.), Die Bischöfe der deutschsprachigen Länder 1785/1803 bis 1945. Ein biographisches Lexikon, Berlin 1983, 762f.



Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona<sup>28</sup>, qui nominatus est a Ludovico<sup>29</sup> Rege Bavariae, confirmatus a. p. m. Papa Leone XII<sup>30</sup> in Consistorio sub 9 Aprilis 1827, consecratus 25 Aprilis ejusdem anni. Defuncto Episcopo Carolo Josepho, 25 Maji 1839 ego indignus et immeritus a Ludovico Bavariae Rege in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum nominatus, a Sanctitate Sua, Beatissimo Papa Nostro Gregorio XVI<sup>31</sup> in Consistorio sub 23 Decembris anno 1839 habito promotus et confirmatus, 25 Februarii 1840 consecratus fui, et 17 Martii ejusdem anni Ecclesiae Passaviensis regimen, spe divini auxilii fretus, ingressus sum.

## *II. Confinia.*

Ad 2<sup>dum</sup>: Ecclesia passaviensis post tot discrimina rerum tandem per Concordatum<sup>32</sup> inter Sanctissimum Dominum p. m. Pium VII.<sup>33</sup> Pontificem maximum et Maximilianum Josephum<sup>34</sup> Regem Bavariae initum fixos obtinuit limites, firmioremque, ut in Domino speramus, existentiam, nam omnipotens Deus, qui restituit eam, et confirmabit.

Cum limites Dioeceseos in Bulla Circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri“<sup>35</sup> accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen juvabit Parochias: Ainring, Anger, Fridorffing, Inzell, Kay, Laufen, Marzoll, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, Salzburghofen, Surberg, Teissendorf, Tittmoning, Waging, et Scti Zenonis, quae ad Archidioecesin Salisburgensem pertinebant, et in Bulla Circumscriptionis de dato 8<sup>va</sup> Septembris 1821 Dioecesi passaviensi, quacum ne minime quidem contiguae erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice parochias, Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Feichten cum Vicariatus S<sup>ctae</sup> Crucis et Tyrlaching, Halsbach, Raitenhaslach, Veter-Oettinga, Alzger, Burgkirchen ad

<sup>28</sup> Zu Karl Joseph von Riccabona, von 1827 bis 1839 Bischof von Passau: Aloys Halser, Karl Joseph von Riccabona und seine Zeit, Passau 1928; August Leidl, Art. Riccabona, in: Gatz (wie Anm. 27) 613f.

<sup>29</sup> Zu Ludwig I. (1786-1868), von 1825 bis 1848 König von Bayern: Heinz Gollwitzer, König Ludwig I. von Bayern. Königtum im Vormärz. Eine politische Biographie, München<sup>2</sup> 1987.

<sup>30</sup> Zu Leo XII., von 1823 bis 1829 Papst: Georg Schwaiger, Art. Leo XII., in: Lexikon für Theologie und Kirche VI<sup>3</sup> (1997) 827f.

<sup>31</sup> Zu Gregor XVI., von 1831 bis 1846 Papst: Georg Schwaiger, Art. Gregor XVI., in: Lexikon für Theologie und Kirche IV<sup>3</sup> (1995) 1023f.

<sup>32</sup> Siehe dazu: Hans Ammerich, Das Bayerische Konkordat 1817, Weissenhorn 2000.

<sup>33</sup> Zu Pius VII., von 1800 bis 1823 Papst: Roger Aubert, Art. Pius VII., in: Lexikon für Theologie und Kirche VIII<sup>3</sup> (1999) 327-329.

<sup>34</sup> Zu Max I. Joseph, von 1806 bis 1825 König von Bayern: Eberhard Weis, Art. Maximilian I., in: Neue Deutsche Biographie 16 (1990) 487-490.

<sup>35</sup> Text der Zirkumskriptionsbulle, datiert vom 8. September 1821, unter anderem in: Generalien-Sammlung der Erzdiözese München und Freising, Bd. I: 1821-1846, München 1847, 9-30.

Sylvam, Kastl, Neo-Oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reischach, Reit, Stamham, Unterneukirchen, Winhoering cum Beneficiis Heilingstadt, Tissling, Klebing, Marktl, Taubenbach, Wald Dioecesi Passaviensi, ut pote illi proxime adjacentes et contiguas assignatas esse, quo facto Circumscriptio Dioecesis Passaviensis a sacra Apostolica Nuntiatura Monachii 8<sup>va</sup> Decembris 1822 modo definitivo facta et declarata fuit<sup>36</sup>. Generatim autem sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe: ad Orientem Dioecesim Linciensem in Austria, ad meridiem Dioecesim partim Linciensem et Monaco-Frisingensem; ad Occidentem tandem Monaco-Frisingensem et Ratisbonensem, ad Aquilonem Dioecesim Budvicensem in Bohemia.

### *III. Privilegia et Praerogativae Episcopatus.*

Ad 3<sup>ium</sup>: Episcopi Laureaco-passavienses antiquis temporibus saepe Archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab apostolica sede condecorati fuerunt<sup>37</sup>. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi Titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos, erectis in Hungaria duobus archiepiscopatibus, abrepta fuisset. Hujus tituli loco ab Ottone III<sup>38</sup> Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia<sup>39</sup>. Cum variae dissensiones inter Salisburgensem et Passaviensem Ecclesiam propter Praecedentiam exortae fuissent anno demum 1728 Ecclesia passaviensis sub Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg<sup>40</sup> a Summo Pontifice ut exemta, immediateque Sanctae Romanae Sedi subjecta declarata fuit; quod et inito novissimo Concordato, dum Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi Concordati autem nunc a Sede metropolitana Monaco-Frisingensi dependet<sup>41</sup>.

### *IV. Numerus Civitatum, oppidorum et locorum, qui Episcopatui subjecti sunt.*

<sup>36</sup> Siehe dazu: Anton Landersdorfer, Das Erzbistum München und Freising, in: Ammerich (wie Anm. 32) 101-135, hier: 119-121.

<sup>37</sup> Siehe dazu: Franz-Reiner Erkens, Die Rezeption der Lorcher Tradition im hohen Mittelalter, in: Ostbairische Grenzmarken 28 (1986) 195-206; Ders., Die Fälschungen Pilgrims von Passau, München 2011.

<sup>38</sup> Zu Kaiser Otto III. (983-1002): Tilman Struve, Art. Otto III., in: Lexikon des Mittelalters VI (1993) 1568-1570.

<sup>39</sup> Siehe dazu: Regesten (wie Anm. 11) 79 (Nr. 260).

<sup>40</sup> Zu Joseph Dominikus von Lamberg, von 1723 bis 1761 Fürstbischof von Passau: August Leidl, Art. Lamberg, in: Gatz (wie Anm. 23) 257-259; Weiß (wie Anm. 21).

<sup>41</sup> Siehe dazu: Ammerich (wie Anm. 32) I (Artikel II.).

Ad 4<sup>um</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecibus haec Dioecesis Passaviensis, et quidem ex rationibus supra allatis. Non numerat nisi 275,117 Catholicos.

Civitates easque non amplas, non nisi 7 numerat; nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Neo-Oetting, Landau, Osterhofen et Vilshofen. Cetera in Bulla Circumscriptionis latissime describuntur, atque quaedam sub N<sup>o</sup> 7. hujus paragraphi enarrabuntur.

#### *V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad Quintum: Ecclesia Cathedralis<sup>42</sup> optime conservata Deo sacra est sub Titulo Sancti Stephani Proto-Martyris. Aedificium, quamvis Sacrarium exterius referat Architecturam Gothicam, interius est Architecturae romanae et quidem pulcherrimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae, in hoc stylo, dici mereatur excellens, et Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum<sup>43</sup>, ut Concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum et Decanum, cum octo Canonicis et sex Vicariis, et recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo duos etiam sustentat Capellanos, qui Canonico, Ecclesiae Cathedralis Parocho, in animarum cura sunt adiutorio. Fons baptismalis in Ecclesia ipsa existit, asservantur etiam insignes Reliquiae<sup>44</sup> praesertim Sancti Maximiliani Episcopi Laureacensis et Martyris, Sancti Valentini Episcopi Confessoris, qui Passavii ex mandato Sancti Leonis<sup>45</sup> Papae Verbum Dei praedicavit ad medium saeculi quinti; sed ab incolis partim Ethnicis, partim Arianis, ad nostram confusionem dictum sit, finibus eorum expulsus fuit: tandem Sancti Corbiniani<sup>46</sup>, Episcopi Confessoris, qui saeculo octavo pietate et indefessis apostolicis laboribus floruit.

Adsunt necessaria, etsi non numerosa, nec tam splendida ut olim suppellectilia tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda. Chorus tria Organa sat splendida habet, et duo Campanilia cum campanis ornant Ecclesiam; Coemeterium autem

<sup>42</sup> Zum Passauer Dom allgemein: Karl Möseneder, Der Dom zu Passau, Regensburg 2015.

<sup>43</sup> Siehe dazu: Hans Würdinger, Das Passauer Domkapitel nach seiner Wiedererrichtung im Jahr 1821 bis zum Jahr 1906, St. Ottilien 1989.

<sup>44</sup> Siehe dazu: August Leidl / Herbert W. Wurster, Der heilige Valentin und der heilige Maximilian – die Patrone des Bistums Passau, in: August Leidl (Hg.), Bistumspatrone in Deutschland, München-Zürich 1984, 149-157.

<sup>45</sup> Zu Papst Leo I. (440-461): Herbert Arens, Art. Leo I., in: Lexikon für Theologie und Kirche VI<sup>3</sup> (1997) 820-822.

<sup>46</sup> Zu ihm: Hubert Glaser / Franz Brunhölzl / Sigmund Benker, Vita Corbiniani. Bischof Arbeo von Freising und die Lebensgeschichte des hl. Korbinian, München-Zürich 1983.

extra Suburbium ad dimidiae horae Spatium existit muro munitum et clausum, juxta quod Ecclesia antiquissima Sancto Severino<sup>47</sup> dicata, conspicitur.

Reditus fabricae quoad necessarium sufficiunt. Munera summi Custodis, et Theologi, ac Poenitentarii Canonici gerunt, Praebendae autem speciales ad haec officia non sunt erectae.

Omnes Dignitarii et Canonici in regenda Dioecesi mihi sunt a Consiliis. Omnia in plena Consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui etiam Expeditiones ordinarias subscribit, et unus e Canonicis Cancellariae Directoris munus gerit. Unus ex Vicariis variis Cancellariae officiis qua Secretarius fungitur.

Pro causis matrimonialibus Consilium separatum, sub nomine Consistorii constitui, cui Canonicus ut Officialis praeest et duo e Canonicis ut Consiliarii cum voto decisivo assistunt.<sup>48</sup>

#### *VI. Status Ecclesiarum Collegiatarum.*

Ad sextum: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioecesis limitibus non nisi duo exstiterunt, nempe Vilshofii et Veter-Oettingae<sup>49</sup>.

#### *VII. Status et numerus Ecclesiarum parochialium, nec non et aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum.*

Ad Septimum: Status animarum catholicam Religionem profitentium et ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad Numerum ut supra numero 4<sup>to</sup> indicavi: 275,117<sup>50</sup>.

Paroeciae numerantur .....	148
Expositurae seu Curatae .....	37
Parochi .....	143
Expositi seu Curati .....	31
Beneficia stabilia .....	46
Beneficia cum paroecia seu Cooperatura vel Expositura aliqua unita .....	9

<sup>47</sup> Zu ihm: Hartmut Wolff, Severin – Ein Heiliger am raetisch-norischen Donauufer, in: Ostbairische Lebensbilder I, Passau 2004, 9-21.

<sup>48</sup> Vgl. dazu: Schematismus Bistum Passau 1844, 5; 1845, 5f.

<sup>49</sup> Zu Altötting: Norbert Backmund, Die Kollegiat- und Kanonissenstifte in Bayern, Windberg 1973, 27-29; zu Vilshofen ebd. 106f.

<sup>50</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1844, 102-104, 108f; 1845, 104-106, 110f.

Beneficiati .....	51
Capellani seu Parochorum Cooperatores et adjuutores .....	169
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	22
Professores .....	10
Commorantes incurati .....	2
Monachi in monasteriis neo-erectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis, ex quibus tamen complures paroeciis praesunt .....	61
Presbyterorum Summa .....	462.

Excepto Capituli Gremio et Vicariis.

*VIII. Numerus Monasteriorum tam virorum quam mulierum.*

Ad 8<sup>vum</sup>: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum et mulierum Monasteriis et diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus, ex iis perierunt Mendicantium monasteria et hospitia nempe Franciscanorum et Capucinatorum<sup>51</sup> ..... 7

Praelaturae Canonorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium et Cisterciensium<sup>52</sup> .....

Monasteria Virinum<sup>53</sup> .....

..... Summa 18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis duae Communitates Ordinis Capucinatorum, nempe Burghusii ad Salzam et Veteris-Oettingae<sup>54</sup>, quorum fratribus et sacerdotibus non solum licet Eleemosynas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam apud fideles colligere.

Numerant hi duo Conventus

Sacerdotes .....	13
Fratres laicos .....	14
Capucinatorum Summa .....	27.

<sup>51</sup> Die Franziskaner hatten Niederlassungen in Altötting, Neuötting, Passau und Pfarrkirchen, die Kapuziner in Burghausen, Passau und Vilshofen.

<sup>52</sup> Die Benediktiner besaßen Klöster in Asbach, Niederaltaich und Vornbach, die Zisterzienser in Aldersbach, Fürstenzell und Raitenhaslach, die Augustinerchorherren in St. Nikola vor Passau und die Prämonstratenser in St. Salvator.

<sup>53</sup> An Frauenkonventen gab es die Benediktinerinnen von Niedernburg/Passau sowie die Englischen Fräulein in Altötting und Burghausen.

<sup>54</sup> Näheres bei Waldemar Hadulla, Wiederaufbau der Männerklöster im Bistum Passau nach der Säkularisation, Weiden 1995, 8-46.

Nunc in eo est, ut alia tertia Communitas Capucinatorum Neo-Oettingae instituat<sup>55</sup>. Favente Deo Veter-Oettingae etiam domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris juxta regulam Sancti Alphonsi a Liguorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur<sup>56</sup>. Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioecesis Passaviensis sed omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent. Inprimis haec Congregatio fidelium animas adjuvat et pascit praedicatione verbi divini, suscipiendis confessionibus, et missionibus exercitiisque spiritualibus variis locis institutis.

Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus:

Patres professos .....	17
Presbyteros novitios .....	6
Studentes clericos .....	6
Novitios clericos .....	2
Fratres laicos professos .....	2
Fratres laicos novitios .....	5
.....	Summa 38.

Duo Conventus Capucinatorum Burghusii et Veter-Oettingae et domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veter-Oettingae quoad exercendam curam et cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum Angelicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii et Veteris-Oettingae<sup>57</sup>, restitutis ipsis possessionibus, quibus prius fruebantur.

Tertia hujusce modi Communitas Passavii erecta et partim fundata est ab Antecessore meo Episcopo Carolo Josepho<sup>58</sup>.

<sup>55</sup> Ebd. 47-50.

<sup>56</sup> Siehe dazu: Otto Weiß, Die Redemptoristen in Bayern (1790-1909). Ein Beitrag zur Geschichte des Ultramontanismus, St. Ottilien 1983, 199-220. – Vgl. auch Leitner (wie Anm. 1) 22f; Hauptmann (wie Anm. 1) 46-49; Zacher (wie Anm. 1) 195-206.

<sup>57</sup> Franziska v. Pechmann, Geschichte des Englischen Institutes Beatae Mariae Virginis in Bayern, München-Nymphenburg 1907, 108-122, 163-193.

<sup>58</sup> Siehe dazu: Anton Landersdorfer, Neues klösterliches Leben in Passau. Der Einzug der Englischen Fräulein in Niedernburg (1836), in: Bernhard Löffler / Karsten Ruppert (Hg.), Religiöse Prägung und politische Ordnung in der Neuzeit. Festschrift für Winfried Becker zum 65. Geburtstag, Köln-Weimar-Wien 2006, 169-192.

Inserviunt hae Virgines instructioni et educationi puellarum cum maxime religionis fructu, et subjacent Episcopi jurisdictioni, quoad oeconomica autem ipsae Virgines quidem eadem administrant; subsunt autem in his superinspektioni regiminis regii.

In conventu Burghusii morantur

Virgines .....	17
Sorores .....	6
.....	Summa 23.

In conventu Veteris-Oettingae

Virgines .....	18
Sorores .....	8
.....	Summa 26.

In conventu Passavii

Virgines .....	14
Sorores .....	5
.....	Summa 19.

#### *IX. An adsit in Dioecesi Seminarium Clericorum?*

Ad 9<sup>num</sup>: Adest Seminarium Clericorum.

Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium Clericorum tantummodo pro quindecim Alumnis institutum inveni.

Sed cum talimodo legibus ecclesiasticis circa hanc rem et bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam, ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae disciplinae tollerentur. Adjuvante Deo nunc post quatuor annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optime instructae circa centum et quinquaginta Alumnos commode suscipere possunt<sup>59</sup>.

Anno currenti 140 alumni in his domibus versabantur. Secundum praecepta sacrosanctae Synodus Tridentinae juvenes, qui ad sacros Ordines adspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur et in disciplinis ecclesiasticis erudiuntur.

<sup>59</sup> Siehe dazu: Die Bischöflichen Seminarier der Diöcese Passau. Festschrift zur Feier des fünfzigjährigen Bestandes des Bischöflichen Knabenseminars in Passau, Passau 1893; Franz Riemer (Hg.), 100 Jahre Priesterseminar und Priestererziehung in Passau, Passau 1928. – Vgl. auch Leitner (wie Anm. 1) 23-28; Hauptmann (wie Anm. 1) 37-46; Zacher (wie Anm. 1) 71-137; Franz Mader, Der Domplatz und die Domherrenhöfe in Passau, Passau 2000.

Extat igitur in praesenti Passavii Seminarium Clericorum et Seminarium Puerorum juxta praecepta sacrosanctae Synodus Tridentinae sensu strictissimo. Sustentantur juvenes et pueri in hisce domibus recepti ex dotatione fundata, partim ex mensa mea episcopali et ex eleemosynis, quas clerus et populus de precibus meis large subministrat.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad 10<sup>mum</sup>: Quaelibet civitas habet hospitale, et etiam in oppidis inveniuntur. Eorum autem Calculus et Directio Magistratibus et Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni Parochia existunt, ac multum ad religionem promovendam pauperesque quandoque Ecclesias sustentandas conferunt. Earum redditus autem, qui maximopere ex oblationibus Sodalium proveniunt, a Communitate unacum Parocho juxta Bavariae Constitutionem administrantur.

Collegia nulla existunt.

*XI. An adsint montes Pietatis<sup>60</sup>?*

Ad 11<sup>mum</sup>: Mons Pietatis unice Passavii existit, isque Magistratui et Gubernio subest, nec unquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

§ II.

*De secundo relationis capite ad meipsum pertinente.*

*I. An Residentiae praeceptum impleverim?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

*II. An et quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Inter quatuor annos, quibus Ecclesiae Passaviensi Episcopus nunc praefui, paene totam Dioecesim parva parte excepta visitavi.

*III. An per me vel alium Episcopum sacras ordinationes expleverim et Confirmationis sacramentum administraverim?*

---

<sup>60</sup> „Berge der Frömmigkeit“ – Leihhäuser.



Ad 3<sup>tum</sup>: Ordinationes semper per me ipsum explevi, et Confirmationis sacramentum diligentissime ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi erant, confirmati fuerint.

*IV. An et quoties Synodum coëgerim?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Synodum non coëgi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia est, ut istae superari non possint. Juxta Indultum tamen apostolicum testes Synodales constitui, qui in omnibus alicujus momenti objectis unacum Decanis ruralibus consuluntur; quapropter similia ita ponderantur ac si in coacta Synodo fuissent deliberata.

*V. An Verbum Dei per meipsum praedicaverim, an per alios viros idoneos?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Verbum Dei per meipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluyente, quam in Ecclesiis ruralibus occasione visitationum et administrationis sacrosancti Confirmationis sacramenti<sup>61</sup>.

*VI. An habeam Depositorium poenarum et mulctarum pecuniarium et an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias indicere non licet; quare nihil de his dicendum.

*VII. Quaenam Taxa, et an Innocentiana observetur?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Observatur in Cancellaria episcopali Taxa moderatissima juxta antiquam observantiam, eaque ex antiqua Conventione cum Ducibus Bavariae inita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipit; ita ut a Massa deductis expensis et legatis ac facultate paterna quinque ex Centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii, et jurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis Ecclesiarum?*

---

<sup>61</sup> Zu den Predigten Hofstätters siehe: Zacher (wie Anm. 1) 171-178.

Ad 8<sup>vum</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna constitutionalis illa legislatio, insuper et protestantismus indifferentismusque.

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo aut pro clero?*

Ad 9<sup>num</sup>: Si a Superiore evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt, quae Deo adjuvante complevi:

Domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veter-Oettingae cum sufficiente dotatione me curante instituta est.

Seminarium Puerorum juxta praeceptum Sacrosanctae Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi, ita ut nunc 150 alumni in hoc Seminario recipiantur. Ad hunc finem omnes facultates meas duodecim millia florenorum impendi et quotannis plus quam quintam partem omnium reddituum meorum an sustentandos alumnos erogo.

Ecclesiam Cathedralem injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi<sup>62</sup>. Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato stylo Romano magnificentissime extruxi.

Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi et viam Crucis ex tabulis magnis et artificiose caelatis erexi.

Alias duas Capellas Ecclesiae Cathedrali contiguas restitui.

Ecclesiam ad Sanctum Salvatorem<sup>63</sup> Passavii tempore Saecularisationis devastatam et venditam recuperavi et restorationi ejus mille florenos ex meis facultatibus impendi.

In domo episcopali ex meis facultatibus pulcherimam Capellam extruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum sacrificium offero, et quotidie choro Canonorum in Cathedrali intersum.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerco.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

<sup>62</sup> Siehe dazu: Maier, Hofstätter und seine Kunstschöpfungen (wie Anm. 1) 130-147. – Vgl. auch Hauptmann (wie Anm. 1) 58-60; Zacher (wie Anm. 1) 230f.

<sup>63</sup> Siehe dazu: Maier, Hofstätter und seine Kunstschöpfungen (wie Anm. 1) 151-157. – Vgl. auch Hauptmann (wie Anm. 1) 60f; Zacher (wie Anm. 1) 219f.

Magna et multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter et fideliter pugnavi, in utilitatem et honorem Ecclesiae ceciderunt.

Quantum possum et pro facultatibus egenis et pauperibus subveni.

Paucis pro domo mea contentus, omnia, quae habeo bonis operibus impendo: nihil pro me retineo.

Obedientia compulsus haec omnia enarravi, quam vis scio, me servum inutilem esse.

### § III.

*De tertio relationis capite ad Clerum saecularem pertinente.*

#### *I. An Canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecclesiae choro jugiter intersint?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Omnes Choro, nisi infirmitate impediti, intersunt diligenter.

#### *II. An ultra Matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrent Missam conventualem, eamque applicent pro Benefactoribus?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Recitantur in Choro horae cum Vesperis et Completorio. Matutinum vero et laudes quisque privatim recitat. Sic res se habuit, cum regimen hujus Ecclesiae suscepi. Missa conventualis a Canonicis et Dignitariis quotidie applicatur, Vicariis propter tenues eorum redditus ab hac obligatione liberatis.

#### *III. An suas habeant constitutiones, et punctualiter observant?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Hae capituli constitutiones data occasione de die in diem juxta experientiam et prudentiam concipiuntur et stabiliuntur, sed nondum sunt absolutae; cum antiquae Constitutiones mutata omni antiqui capituli forma circum stantiis praesentibus omnino non convenient. Ceterum cum Constitutiones novae perfectae fuerint, eas pro ratificatione exhibere non omittam.

#### *IV. An qui obtinendam Praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Ut supra dictum est, hae Praebendae, quoad redditus non existunt, munera tamen a nominatis ad haec Canonicis accurate adimplentur.

#### *V. An Parochi in suis Parochiis resideant?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident nec ulli licet sine nostra licentia per plures dies abesse, pro quo casu iste data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio Sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet, eumque nobis designare.

*VI. An librum matrimoniorum et Baptizatorum aliosque libros, quos ad Normam Ritualis romani retinere debent, retineant?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis ab haeredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Major parochorum pars propter plebis numerum, vel parochiae ambitum uno cooperatore, alii etiam pluribus indigent; alii propter infirmitatem vel senium cooperantis adiutorio utuntur.

*VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?*

Ad 8<sup>vum</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipsi incitentur, sed Decani etiam sollicite desuper invigilare teneantur. Adjutores autem et juniores sacerdotes ad finem anni conciones et catecheses diligenter elaboratas scripto ad Consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi stricte censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem Dominicis et aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad 9<sup>num</sup>: Parochi vel iis legitime impeditis, eorum Capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scholis publicis tam pueros quam puellas in Religionis scientia instruere et examinare, et insuper etiam in scholis festivis, quas pueri et puellae a 12<sup>mo</sup> aetatis anno usque ad 18<sup>vum</sup> annum frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita ut ex hac parte doctrina christiana frequentius tradatur, quam alias solitum fuerat.

Injunctum est praeterea Parochis, ut in diebus dominicis, loco homiliarum vel concionum, catechetica instructionem secundum Ordinem Catechismi Romani

tradant et prosequantur; ita ut etiam adulti in Cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur: hanc instructionem autem modo adultis magis conveniente, id est, ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore Quadragesimae a Parochis specialiter innupti et innuptae super sacramenta confessionis et Eucharistiae, super necessarios fidei articulos, super officia cujusque status etc. separatis hebdomadis diebus diligentissime in quaque Parochia instruuntur et examinantur. Quod ut diligentius, secundum cujus vis indigentium, praestari possit, statutis diebus, iisque non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli Parochi, ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad 10<sup>mum</sup>: Omnes Parochi juxta Praescriptum applicant exceptis tantum iis Cooperatoribus, qui sacra facere debent in Ecclesia filiali: cum Parochus pro tota Parochia applicet.

*XI. An et quae praemittantur antequam quis ad Tonsuram et Ordines minores admittatur, et an sacris ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad 11<sup>mum</sup>: Ad primam Tonsuram vel minores ordines admittendi afferre debent testimonium baptismatis et confirmationis unacum studiorum testimoniis ac etiam testimonium morum a proprio Parocho; dein sicut et ceteris ordinibus initiandi subire debent examen rigorosum, vel in pleno Consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinadoribus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia Ordinationi in hujus loci seminario praemittuntur.

*XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?*

Ad 12<sup>mum</sup>: Habitus clericalis, et decens una cum Tonsura Clericis et Presbyteris dignus cunctis stricte inculcatur et etiam defertur, perpaucis tantum aliquomodo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu Casuum Conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad 13<sup>tium</sup>: Hae conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt.

Existimo, magnam distantiam Parochiarum a sede Decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod Neo-Ordinati Presbyteri Curaeque animarum exponendi pro cura nonnisi ad annum adprobentur, et antequam is elabatur, novum Examen apud constitutum Examinatorem subire cogantur, aliquae quaestiones etiam scripto solvendae sint, quae unacum Examinatoris iudicio ad nos mitti debeant. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio, secunda vice non nisi ad biennium datur adprobatio, quo elapso examen iterare eodem modo coguntur; dein post triennium, et tandem post quinquennium, ultra quod nullus adprobari solet, nisi sit probatae scientiae, et stabili Beneficio provisos. Hoc fit ut quisque studia diligenter persequi cogatur.

*XIV. Quinam sint mores Cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad 14<sup>tum</sup>: Longe major pars Cleri confirmat opere, quod praedicat. Cum tamen post Saecularisationem per 23 et ultra annos nec Seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, mirandum non est, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast, Deo adjuvante, mundabitur area, aliis paterna correctione, aliis severiore disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia praesertim autem institutione aptissima in Seminario episcopali recepta, a lapsu cohibitis.

§ IV.

*De quarto relationis capite ad Clerum regularem pertinente.*

Omnia Monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere, quae hic de iis referri possent, jam supra § I fuerunt memorata.

§ V.

*De quinto relationis capite ad Moniales pertinente.*

Pari modo Monialium claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabilia supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata.

Ceterum in tribus monasteriis Virginum Anglicarum statuta rite servantur et clausura simul in quantum ab hujus ordinis regulis praescribitur. Confessarius ordinarius earum necnon extraordinarius a me assignatus est. Visitavi jam saepius, nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo majora quotidie capit incrementa.

## § VI.

*De sexto relationis capite ad Seminarium spectante.*

### *I. Quot sint in Seminario Alumni?*

Ad 1<sup>um</sup>: In Seminario Clericorum circa quinquaginta, in Seminario puerorum circa centum alumni aluntur<sup>64</sup>.

### *II. An ecclesiastica disciplina recte instituantur?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos Seminarii antistites et rectores<sup>65</sup>.

### *III. Quibus Studiis vacent?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Repetuntur imprimis omnes principaliores theologiae partes, quas alumni in publica Universitate audierunt, ut ita vel neglecta suppleantur, vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Lyturgiae, et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

### *IV. An Cathedrali et aliis locis Ecclesiae diebus festis inserviunt?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Diebus dominicis et festivis chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

### *V. An cum Consilio duorum Canonorum Seniorum, a me electorum, necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Statui.

---

<sup>64</sup> Zu den Zahlen vgl. Riemer (wie Anm. 59) 217 („Zahl der Alumnen und Weihekandidaten seit 1828“) sowie: Die Bischöflichen Seminarien (wie Anm. 59) 37f, 40 (Knabenseminare St. Maximilian und St. Valentin).

<sup>65</sup> Zu den Regenten und Subregenten des Klerikalseminars siehe: Die Bischöflichen Seminarien (wie Anm. 59) 15-17, 19; Riemer (wie Anm. 59) 219f, 222; zu den Vorständen der Knabenseminare St. Maximilian und St. Valentin: Die Bischöflichen Seminarien (wie Anm. 59) 74-88.

*VI. An illud aliquando visitem et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones Seminarii Clericorum et puerorum scrictissime [!] observentur.

*VII. An statuta sit Taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in ejus solutione?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Taxa tamen in veteri Dioeceseos parte stabilita fuerat: in ea autem parte, quae olim Archiepiscopatus Salisburgensi suberat; atque ad Archiepiscopatum Monacensem transierat, tandemque nobis incorporata fuit, nulla pro Seminario Taxa nec stabilita, nec soluta fuerat. Concurrunt autem nunc donis gratuitis ad id evocati, ceteri etiam stabilitam taxam exacte solvunt.

§ VII.

*De septimo relationis capite ad Ecclesias, Confraternitates et loca pia pertinente.*

*I. An in sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit Tabella onerum Missarum et Anniversariorum?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabellae.

*II. An in Confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si sint Anniversaria, episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera exacte implere Parochis gravissime injungitur, nec ab ulla Confraternitate, vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi foundationis valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationem ab horum locorum Administrationibus?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Ut supra dictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta Patriae leges soli brachio saeculari et magistratibus incumbit.

*IV. An Montem pietatis etc. V. An infirmorum hospitalia visitaverim et reddituum rationes exegerim etc.?*



Ad 4<sup>tum</sup> et 5<sup>tum</sup>: Ut dictum, in redituum et Administrationis ratione istae communitates et montes pietatis magistratibus solis subjecta sunt.

§ VIII.

*De octavo relationis capite ad populum pertinente.*

*I. Quinam sint populi mores, et an pietate proficiat?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Negari non potest, populi mores vel legum indulgentia vel maxime bellorum praeteritorum pravis exemplis, maxime in civitatibus in multis fuisse corruptos. Ast populus maxime antiquae Patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret: et si Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarum digni, pietate et scientia praediti sacerdotes instituantur, sperari potest, Deo auxiliante pristinam morum modestiam revocandam fore. De cetero omne studium et operam in his et aliis omnibus, quae officium spectant, impendere non omittam, atque Dei auxilio confisus, nisi omnia religionis et societatis vincula dirumpantur, spero castigatioris mores restabiliendos fore.

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae Consilio et adjutoris Sedis apostolicae indigeat?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo custodiente Deo in hac Ecclesia seu Dioecesi irrepsit.

§ IX.

*De ultimo relationis capite ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennialium et quinquennialium praesertim mihi benignissime impertire dignatus est, ut ad regendam confisam Dioecesim sufficientes mihi videantur.

Quapropter importunum judico, Sanctissimum Patrem pro ampliandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

Quoniam autem Ecclesiae navis novis identidem procellis impetitur, siquae novae facultates ad regimen Ecclesiae requirentur, humillimas preces pro rerum circumstantiis adhibebo, atque de Summi Pontificis innata Clementia confido.

Ceterum spero, Dei spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et sacri Concilii Interpretibus, ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverentissime exosculor, meam erga Ecclesiam romano-catholicam obedientiam et fidem Summi Dei adjutorio confisus, iterato promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum Clementiae et favoribus humillime commendo, ac me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae romanae Cardinalium et sacri Concilii Interpretum

Passavii 22 Augusti 1844

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum  
+ Henricum Episcopum Passaviensem.

## 1848

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita.

§ I.

*De primo Relationis capite.*

*De statu Ecclesiae Passaviensis materiali.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a seculo octavo i. e. anno 737 cum devastata ab Hunis civitate Laureacensi, quae erat sedes Episcopalis, Episcopus Vivilo, vel Wufilo nomine una cum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum duce Odilone liberalissime exceptus fuisset.

Extenderant se fines Dioeceseos Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua ad ipsam quoque pertinebat, usque in Pannoniam et Moraviam, quarum regionum populi usque ad adventum S. Bonifacii quoad pastorale munus tunc temporis a sede Passaviensi dependebant.

S. Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem ac occidentalem partem novis creatis Episcopis submitit, quibus novas sedes nempe Salisburgam, Frisingam et Ratisbonam assignavit.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-passaviensis se extendit, cum Moraviam et partem Pannoniae includeret usque dum ad finem saeculi noni et initium decimi sub Episcopo Passaviensi Richardo Moravia proprios Episcopos obtinuit.

Tandem sub Episcopo nomine Christiano, qui ab anno 991 usque ad annum 1013 Ecclesiam Passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano I Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatus fundati fuere, et anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem Episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen, ut ad ultima usque tempora etiam Vicarius generalis ab Episcopo Passaviensi constitutus, Viennae resideret; qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam et Lincium remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra Onasam, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia B. V. M. ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret. De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars, quae vocatur Sylva Viennensis cum Archiepiscopatu viennensi unita fuit.

Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub Imperio Josephi II Austriaci, Romani Imperatoris, qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi et Principe Cardinali de Firmian omnes ditionis suae Ecclesias ab episcopalis Ecclesiae Passaviensis Auctoritate avulsit, atque Lincii civitate in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit.

Hoc autem tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passaviensis in Austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus et Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento **pertineret**, donec Princeps Episcopus Comes de Auersperg, Cardinalis de Firmian Successor, petitionibus Imperatoris una cum Capitulo consentiens pro Dotatione novi Lincensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret.

Quamquam haec omnia florentem hanc ac antiquissimam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen divina sic sapientia disponente, ei reservata fuerunt detrimenta.

Annus Saecularisationis 1802 evertit non tantum, quae a mundo pretio habentur; oblata, thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia et ornamenta direpta vel dispersa; sed etiam anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret; sed, quod maxime ex manifestis rationibus plangendum; Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede tamen annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem in regno Bohemiae coemptam, secessit, ibique per annos 23 commoratus anno 1826 obiit.

Huic successit in Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona, qui nominatus est a Ludovico, Rege Bavariae, confirmatus a Pont. Max. Papa Leone XII in Consistorio sub 9 Aprilis 1827 consecratus 25 Aprilis ejusdem anni.

Defuncto Episcopo Carolo Josepho 25 Maji 1839 ego indignus et immeritus a Ludovico Bavariae Rege in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum, a Sanctitate sua, *p. m.*, beatissimo Papa Gregorio XVI in consistorio sub 23 Decembris a. 1839 habito promotus et confirmatus *atque* 25 Februarii 1840 consecratus fui et 17 Martii ejusdem anni Ecclesiae Passavensis [!] regimen, spe divini auxilii fretus, ingressus sum.

## *II. Confinia.*

Ad 2<sup>dum</sup>: Ecclesia Passaviensis post discrimina rerum tandem per Concordatum inter Sanctissimum Dominum *p. m.* Pium VII Pont. Max. et Maximilianum Josephum, Regem Bavariae, initum fixos obtinuit limites, firmioremque, ut in Domino speramus, existentiam, nam omnipotens Deus, qui restituit eam et confirmabit.

Cum limites Dioeceseos in Bulla circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri“ accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen juvabit Parochias Ainring, Anger, Fridorffing, Inzell, Kay, Laufen, Marzoll, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, Salzburghofen, Surberg, Teisendorf, Tittmoning, Waging et S<sup>t</sup> Zenonis, quae ad Archidioecesin Salisburgensem pertinebant, et in Bulla Circumscriptionis de dato 8 Sept. 1821 Dioecesi Passaviensi, quacum ne minime quidem contiguae erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice parochias

Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Feichten cum Vicariatibus S<sup>ae</sup> Crucis et Tyrlaching, Halsbach, Raitenhaslach, Veteroettinga, Alzgern, Burgkirchen a[d] Sylvam, Kastl, Neo-oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reischach, Reit, Stamham, Unterneukirchen, Winhoering cum Beneficiis Heiligenstadt, Tissling, Klebing, Marktl, Taubenbach, Wald Dioecesi Passaviensi, utpote illi proxime adjacentes et contiguas assignatas esse, quo facto circumscriptio Dioecesis Passaviensis a sacra apostolica Nuntiatura Monachii 8<sup>va</sup> Decembris 1822 modo definitivo facta et declarata fuit. Generatim autem sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe ad Orientem Dioecesim Linziensem in Austria, ad meridiem Dioecesim partim Linziensem et Monaco-Frisingensem; **ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem**; ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem ac Ratisbonensem, ad Aquilonem Dioecesim Budvicensem in Bohemia.

### *III. Privilegia et Praerogativae Episcopatus.*

Ad 3<sup>tium</sup>: Episcopi Laureaco-passavienses antiquis temporibus saepe archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab apostolica sede condecorati fuerunt. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos erectis in Hungaria duobus Archiepiscopatibus abrepta fuisset. Hujus tituli loco ab Ottone III Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia. Cum variae dissensiones inter Salisburgensem et Passaviensem Ecclesiam propter Praecedentiam exortae fuissent anno demum 1728 Ecclesia Passaviensis sub Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg a Summo Pontifice **sit** exempta, immediateque S. R. Sedi subjecta declarata fuit; quod et inito novissimo Concordato, dum Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi concordati autem nunc a Sede Metropolitana Monaco-Frisingensi dependet.

### *IV. Numerus civitatum, oppidorum et locorum, qui Episcopatu subjecti sunt.*

Ad 4<sup>tum</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecesibus haec Dioecesis Passaviensis, et quidem ex rationibus supra allatis. Non numerat nisi **275,980** Catholicos. Civitates easque non amplas, non nisi 7 numerat, nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Neuoetting, Landau, Osterhofen et Vilshofen. Caetera in Bulla

Circumscriptionis latissime describuntur, atque quaedam sub N<sup>o</sup> 7<sup>mo</sup> hujus paragraphi enarrabuntur.

#### *V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad V<sup>um</sup>: Ecclesia Cathedralis optime conservata Deo sacra est sub titulo S. Stephani Proto-Martyris.

Aedificium quamvis Sacrarium exterius referat architecturam Gothicam, interius est Architecturae Romanae, et quidem pulcherimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae in hoc stylo dici mereatur excellens, et Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum, ut Concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum et Decanum, cum octo Canonicis et sex Vicariis, et recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo duos etiam sustentat Capellanos, qui Canonico Ecclesiae Cathedralis parochi in animarum cura sunt adiutorio. **Onera fundo Ecclesiae Cathedralis infixae accurate implentur.**

Fons baptismalis in Ecclesia ipsa existit, asservantur etiam insignes Reliquiae, praesertim S. Maximiliani Episcopi Laureacensis et Martyris; S. Valentini Episcopi Confessoris, qui Passavii ex mandato S. Leonis Papae verbum Dei praedicavit ad medium saeculi quinti; sed ab incolis partim ethnicis partim Arianis, ad nostram confusionem dictum sit, finibus eorum expulsus fuit; tandem S. Corbiniani Episcopi Confessoris, qui saeculo octavo pietate et indefessis apostolicis laboribus floruit.

Adsunt necessaria etsi non numerosa nec tam splendida ut olim suppellectilia tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda. Chorus tria organa sat splendida habet et duo campanilia cum campanis ornant Ecclesiam; Coemeterium autem extra suburbium ad dimidium horae spatium existit muro munitum et clausum, juxta quod Ecclesia antiquissima Sancto Severino **hujus loci Apostolo celeberrimo** dicata conspicitur.

Reditus fabricae quoad necessarium sufficiunt.

Munera summi Custodis **unus ex Canonicis gerit; pro officio autem Theologi et Poenitentarii duo Canonici a me constituti sunt, quorum unusquisque habet peculiarem suam et sufficientem praebendam.**

Omnes Dignitarii et Canonici in regenda Dioecesi mihi sunt a Consiliis. Omnia in plena consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui etiam Expeditiones ordinarias subscribit, et unus e Canonicis

Cancellariae Directoris gerit. Unus ex Vicariis Cancellariae officiis qua Secretarius fungitur.

Pro causis matrimonialibus consilium separatum sub nomine Consistorii constitui, cui canonicus ut officialis praeest, et duo e canonicis ut consilarii cum voto decisivo assistunt.

#### *VI. Status Ecclesiarum collegiatarum.*

Ad sextum: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioecesis limitibus non nisi duo exstiterunt, nempe Vilshofii et Veteroettingae; **quae anno praedicto omnino sublatae sunt.**

#### *VII. Status et numerus Ecclesiarum parochialium, nec non et aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum.*

Ad septimum: Status animarum catholicam Religionem profitentium et ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad Numerum ut supra numero 4<sup>to</sup> indicavi: **275,980<sup>66</sup>.**

Paroeciae numerantur .....	149
Expositurae seu Curatae .....	36
Parochi .....	128
Expositi seu Curati .....	30
Beneficia stabilia .....	48
Beneficia cum paroecia seu Cooperatura vel Expositura aliqua unita .....	8
Beneficiati .....	55
Capellani seu Parochorum Cooperatores et Adjutores .....	172
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	7
Professores .....	7
Commorantes .....	10
Monachi in monasteriis neo-erectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis, ex quibus tamen modo septem paroeciis praesunt .....	53
Presbyterorum Summa excepto Capituli gremio et Vicariis .....	462 [!]

<sup>66</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1849, 120-125.

*VIII. Numerus Monasteriorum tum virorum quam mulierum.*

Ad octavum: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum et mulierum Monasteriis et diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus ex iis perierunt.

Mendicantium monasteria et hospitia nempe Franciscanorum et Capucinatorum .....	7
Praelaturae Canoniorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium et Cisterziensium .....	8
Monasteria Virginum .....	3
.....	18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis tres communitates Ordinis Capucinatorum, nempe Burghusii ad Salzam, Veteris-Oettingae et Neo-oettingae, quorum fratribus et sacerdotibus non solum licet Eleemosynas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam eas apud fideles colligere.

**Hi tres conventus numerant**

Sacerdotes .....	18
Clericos Novitios .....	5
Fratres laicos .....	21
.....	In Summa 44.

Favente Deo Veter-Oettingae etiam domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris juxta regulam sancti Alphonsi a Liguorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur.

Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioecesis Passaviensis sed omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent.

Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus

Patres professos .....	22
Studentes clericos .....	4
Fratres laicos professos .....	10
.....	In Summa 36.

Hanc domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veter-Oettingae Ludovicus I Bavariae Rex per decretum mense Februarii A. D. 1848 emissum ad consternationem fidelium quam maximam sine ulla causa sustulit. Ego autem omnibus viribus, quibus potui, executioni hujus decreti regii restiti, et, adjuvante Deo,



hunc finem adeptus sum, ut executio istius regii decreti usque ad hanc horam sit suspensa<sup>67</sup>.

Firmiter autem spero, me, favente Deo, opera mea et contentionibus meis eo esse perventurum, ut mandatum istius regii decreti non peragatur et status pristinus hujus domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae omnino illaesus in posterum reservetur.

Tres conventus Capucinatorum Burghusii, Veteroettingae et Neo-oettingae et domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae quoad exercendam curam et cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum anglicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii et Veteris-Oettingae, restitutis ipsis possessionibus, quibus prius fruebantur. Tertia hujuscemodi communitas Passavii erecta et partim fundata est ab Antecessore meo Episcopo Carolo Josepho.

Inserviunt hae Virgines instructioni et educationi puellarum cum maxime religionis fructu et subjacent Episcopo; quoad Oeconomica autem ipsae virgines quidem eadem administrant, subsunt autem in his superinspectioni regiminis regii.

#### Morantur in conventu

a.) Veteroettingae Virgines .....	21
Sorores .....	11
.....	32
b.) Burghusii Virgines .....	22
Sorores .....	7
.....	29
c.) Passivii Virgines .....	19
Sorores .....	6
.....	25
.....	In Summa 86.
Domus virginum sub titulo „Sorores pauperes scholas puellarum” curantium Aidenbacii neo-erecta <sup>68</sup> numerat	
Virgines professas .....	2
.....	In Summa 2.

<sup>67</sup> Siehe dazu: Weiß (wie Anm. 56) 247-265.

<sup>68</sup> Siehe dazu: Schematismus Bistum Passau 1847, 147; Zacher (wie Anm. 1) 212f.

*IX. An adsit in dioecesi Seminarium clericorum?*

Ad 9<sup>num</sup>: Adest Seminarium clericorum. Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium clericorum tantummodo pro quindecim alumnis instructum inveni:

Sed cum tali modo legibus ecclesiasticis circa hanc rem et bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae disciplinae tollerentur.

Adjuvante Deo nunc post octo annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optime instructae sunt et circa trecentos alumnos commode suscipere possunt.

Anno currenti 284 alumni in his domibus versantur. Secundum praecepta sacrosanctae Synodus Tridentinae juvenes, qui ad sacros ordines aspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur et in disciplinis ecclesiasticis erudiuntur. Exstat igitur in praesenti Passavii Seminarium clericorum et Seminarium puerorum juxta praecepta sacrosanctae Synodus Tridentinae sensu strictissimo.

Sustentantur juvenes et pueri in hisce domibus recepti, partim ex dotatione fundata, partim ex mensa mea episcopali et ex eleemosynis, quas clerus et populus de precibus meis large subministrat.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad 10<sup>num</sup>: Quaelibet civitas habet hospitale et etiam in oppidis inveniuntur. Eorum autem calculus et directio Magistratibus et Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni parochia existunt ac multum ad religionem promovendam, pauperesque quandoque Ecclesias sustentandas conferunt. Earum redditus autem, qui maximopere ex oblationibus sodalium proveniunt, a communitate unacum parochia juxta Bavariae constitutionem administrantur.

Collegia nulla existunt.

*XI. An adsint montes Pietatis?*

Ad 11<sup>num</sup>: Mons pietatis unice Passavii existit, isque Magistratui et gubernio subest nec usquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

*De secundo relationis capite ad meipsum pertinente.*

*I. An residentiae praeceptum impleverim?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

*II. An et quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Paene totam Dioecesim semel visitavi; magna pars autem ejus ubi id propter tempora necessarium fuit, jam bis a me visitata est.

*III. An per me vel alium Episcopum sacras ordinationes expleverim et Confirmationis Sacramentum administraverim?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Ordinationes sacras semper per me ipsum explevi et confirmationis sacramentum ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi erant, confirmati fuerint.

*IV. An et quoties Synodum coëgerim?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Synodum non coëgi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia erat, ut istae superari non possent. Juxta indultum tamen apostolicum testes Synodales constitui, qui in omnibus alicujus momenti objectis unacum decanis ruralibus consuluntur; quapropter similia ista ponderantur ac si in coacta Synodo fuissent deliberata.

Operam dabo, ut in posterum, in quantum fieri potest, et hic exsequi possum, Synodus Dioecesana compellatur.

*V. An verbum Dei per meipsum praedicaverim, an per alios viros idoneos?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Verbum Dei per meipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluyente, quam in ecclesiis ruralibus occasione visitationum et administrationis sacrosancti confirmationis sacramenti.

In Ecclesia Cathedrali verbum divinum in omnibus diebus festis praedico.

*VI. An habeam Depositorium poenarum et mulctarum pecuniarium, et an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias indicere non licet, quare nihil de his dicendum.

*VII. Quanam Taxa et an Innocentiana observentur?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Observatur in cancellaria episcopali taxa moderatissima juxta antiquam observantiam. Ex antiqua conventionione cum Ducibus Bavariae inita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipit, ita ut a Massa detractis expensis et legatis ac facultate paterna quinque ex centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii, et jurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis ecclesiarum?*

Ad 8<sup>vum</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna constitutionalis illa legislatio, insuper et protestantismus indifferentismusque, **et hoc tempore spiritus malignus seductionis et subversionis, qui omne bonum perdere conatur.**

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo aut pro clero?*

Ad 9<sup>num</sup>: Si a Superiori evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt, quae Deo adjuvante complevi.

Domus congregationis Sanctissimi Redemptoris [!] Veteroettingae cum sufficiente dotatione me curante instituta est.

Seminarium puerorum juxta praeceptum Sacrosanctae Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi ita ut nunc circa 300 alumni in hoc Seminario recipiantur.

Ecclesiam Cathedralem injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi.

Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato stylo Romano magnificentissime extruxi.

Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi, et in ea viam crucis ex tabulis magnis et artificiose celatis erexi.

Alias duas capellas Ecclesiae Cathedrali contiguas restitui.

Ecclesiam ad S. Salvatorem Passavii tempore Saecularisationis devastatam et venditam recuperavi et restorationi ejus mille florenos ex meis facultatibus impendi.

In domo Episcopali ex meis facultatibus pulcherrimam capellam extruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum sacrificium offero et quotidie choro Canonicorum in Cathedrali intersum.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerceo.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

Magna et multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter et fideliter pugnavi, in utilitatem et honorem Ecclesiae ceciderunt.

Haec omnia in primo quadriennio episcopatus mei curavi.

Quae autem quadriennio primo elapso praedictis bonis operibus interea in secundo quadriennio accesserunt sunt haec:

Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis<sup>69</sup> in monte prope Passaviam sitam, frequentia fidelium celeberrimam, sed negligentia et vetustate deperditam, magnificentissime restauravi, ita ut auro et ornamentis resplendeat.

Quindecim mysteria Sancti Rosarii beatissimae Virginis Mariae in tabulis magnis arte sculptili representata curavi, ita, ut prope Ecclesiam praedictam singulum mysterium in singulari sacello dispositum sit.

Domus pro sacerdotibus saecularibus<sup>70</sup> apud dictam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis in monte sita, quae usque adhuc tantum quatuor vel quinque sacerdotes recipere potuit, ita a me amplificata et adaptata est, ut nunc viginti presbyteri saeculares in illa versentur, qui vitam communem degentes, divino cultui in Ecclesia illa inserviunt, horas canonicas communiter in choro celebrant, et ingenti multitudini ad Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis peregrinantium verbum divinum praedicant, et sacramenta confessionis et sanctissimae Eucharistiae administrant. In eodem monte prope Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis singularem domum pro exercitiis spiritualibus institui, ita, ut presbyteris hujus Dioeceseos occasio data sit hac recreatione spirituali deinceps per totum annum fruendi.

Ibidem aliam domum constitui pro presbyteris ob delicta corrigendis.

Alteram domum in illo loco paravi, ubi presbyteri suspensi et cura animarum privati detineantur.

<sup>69</sup> Siehe dazu: Maier, Hofstätter und seine Kunstschöpfungen (wie Anm. 1) 148-151. – Vgl. auch Leitner (wie Anm. 1) 48f.

<sup>70</sup> Siehe dazu: Joseph Siegler, Mariahilf bei Passau. Eine geschichtliche Beschreibung dieses berühmten Wallfahrts-Ortes, Passau<sup>2</sup>1893, 99-101; Walter Hartinger, Mariahilf ob Passau. Volkskundliche Untersuchung der Passauer Wallfahrt und der Mariahilf-Verehrung im deutschsprachigen Raum, Passau 1985, 142-150.

Ad augendam dotationem istarum domorum clericalium donationem eis feci in fundis, qui circa sex millia florenorum pretium habent.

Pro Seminario Alumnorum in civitate Passaviensi hortum latissimum comparavi<sup>71</sup>.

Ad recreationem puerorum et juvenum in Seminariis ecclesiasticis degentibus villam amplissimam prope Passaviam amoenissime sitam et variis hortis et agris instructam acquisivi<sup>72</sup>. Pro Seminariis a me hucusque summam quadraginta duorum millium florenorum ex facultatibus meis impendi.

Reliquias Sanctorum Ecclesiae Cathedralis tempore Saecularisationis dispersas et neglectas opere quam maximo collegi, et in vasis, ut optime tueantur dignissime composui.

Sacerdotalia indumenta pro Ecclesia cathedrali in ordinem optimum redegei, illa adauxi, et pro asservandis illis ceterisque ecclesiasticis ornamentis singulare et amplum aedificium adaptavi.

Pro bibliotheca Diocesana bene et utiliter disponenda aedem amplitudine et commoditate excellentem acquisivi.

Domum episcopalem sumtibus meis optime restauravi.

Numerosam et pretiosam collectionem picturarum, quae imagines Sanctorum repraesentant, ad capellam, quam in domo episcopali extruxi, dono dedi.

Quantum possum et pro facultatibus egenis et pauperibus subveni.

Obedientia compulsus haec omnia enarravi, quamvis scio, me servum inutilem esse, cui magis conveniat, ut defectus suos profiteatur, quam ut de suis bonis operibus loquatur.

[§ III.]

*De tertio relationis capite ad Clerum saecularem pertinente.*

*I. An canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecclesiae choro jugiter intersint?*

Ad 1<sup>um</sup>: Omnes choro, nisi infirmitate impediti, intersunt diligenter.

*II. An ultra matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrant Missam conventualem eamque applicent pro Benefactoribus?*

<sup>71</sup> Römerwehriese. Die Bischöflichen Seminarien (wie Anm. 59) 45.

<sup>72</sup> Schloss Freudenhain. Ebd. 49-51.

Ad 2<sup>dum</sup>: Recitantur in choro horae cum Vesperis et Completorio. Matutinum vero et laudes quisquis privatim recitat. Sic res se habuit, cum regimen hujus Ecclesiae suscepi. **Quae mihi autem de hac re Sacra congregatio rescripsit, praedictis canonicis insinuavi, qui singularem petitionem exhibebunt.** Missa conventualis a Canonicis et dignitariis quotidie applicatur, Vicariis propter tenues eorum redditus ab hac obligatione liberatis.

*III. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent?*

Ad 3<sup>tium</sup>: **Super hunc articulum ad sacram congregationem canonici Ecclesiae Cathedralis Passaviensis specialem relationem facient.**

*IV. An qui obtinent praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt, et quomodo?*

Ad 4<sup>tum</sup>: **Canonici qui obtinent Praebendam Poenitentiarum et Theologalem, accurate et plene munera sua implent.**

*V. An Parochi in suis Parochiis resideant?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident, nec ulli licet sine nostra licentia per plures dies abesse, pro quo casu iste, data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet, eumque nobis designare.

*VI. An librum matrimoniorum et Baptizatorum aliosque libros, quos ad Normam Ritualis Romani retinere debent, retineant?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis casu ab heredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Major parochorum pars propter plebis numerum vel parochiae ambitum uno cooperatore, alii etiam pluribus indigent, alii propter infirmitatem vel senium cooperatoris adiutorio utuntur.

*VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?*

Ad 8<sup>vum</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipsi incitentur, sed Decani etiam sollicite desuper invigilare teneantur. Adjuutores autem et juniores sacerdotes ad finem anni conciones et catecheses diligenter elaboratas scripto ad consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi stricte censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem Dominicis et aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad 9<sup>num</sup>: Parochi, vel iis legitime impeditis, eorum capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scolis publicis tam pueros quam puellas in religionis scientia instruere et examinare, et insuper etiam in scolis festivis, quas pueri et puellae a 12<sup>mo</sup> aetatis anno usque ad 18<sup>vum</sup> annum frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita, ut ex hac parte doctrina Christiana frequentius tractatur, quam alias solitum fuerat.

Injunctum est praeterea parochis, ut in diebus dominicis loco homiliarum vel concionum, catechetica instructionem secundum Ordinem Catechismi Romani tradant et prosequantur; ita, ut etiam adulti in cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur: hanc instructionem autem modo adultis magis conveniente, id est, ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore quadragesimae a Parochis specialiter innupti et innuptae super sacramenta Confessionis et Eucharistiae, super necessarios fidei articulos, super officia cujusque status etc. separatim hebdomadis diebus diligentissime in quaque Parochia instruuntur et examinantur. Quod ut diligentius, secundum cujusvis indigentiam, praestari possit, statutis diebus, iisque non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli Parochi, ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad 10<sup>mum</sup>: Omnes Parochi juxta praescriptum applicant exceptis tamen iis cooperatoribus, qui sacra facere debent in Ecclesia filiali, cum Parochus pro tota Parochia applicet.



*XI. An et quae praemittantur, antequam quis ad Tonsuram et Ordines minores admittatur; et an sacris Ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad 11<sup>mum</sup>: Ad primam Tonsuram vel minores Ordines admittendi afferre debent testimonium baptismatis ac confirmationis unacum studiorum testimoniis ac etiam testimonium morum a proprio paroco; dein sicut et ceteris Ordinibus initiandi subire debent examen rigorosum, vel in pleno consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinadoribus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia ordinationi in hujus loci seminario praemittuntur.

*XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?*

Ad 12<sup>mum</sup>: Habitus clericalis et decens unacum Tonsura Clericis et Presbyteris dignus cunctis stricte inculcatur, et etiam defertur, perpaucis tantum aliquo modo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum; et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad 13<sup>tium</sup>: Hae conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt.

Existimo magnam distantiam Parochiarum a sede decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod Neo-ordinati Presbyteri curaeque animarum exponendi pro cura nonnisi ad annum adprobentur, et antequam is elabatur, novum Examen apud constitutum Examinatorem subire coguntur; aliquae quaestiones etiam scriptae solvendae sunt, quae unacum Examinatoris judicio ad nos mitti debent. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio secunda vice non nisi ad biennium datur adprobatio, quo elapso examen iterare coguntur eodem modo; dein post triennium, et tandem post quinquennium, ultra quod nullus adprobari solet, nisi sit probatae scientiae et stabili beneficio provisos. Hoc fit, ut quisque studia diligenter persequi cogatur; **quae autem de hac re Sacra Congregatio rescripsit, exsequi studebo.**

*XIV. Quinam sunt mores Cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad 14<sup>tum</sup>: Longe major pars cleri confirmat opere, quod praedicat. Cum tamen post saecularisationem per 23 et ultra annos nec seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, mirandum non est, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast, Deo adjuvante, mundabitur area, aliis paterna correctione, aliis severiore disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia praesertim autem institutione aptissima in Seminario episcopali recepta, a lapsu cohibitis.

#### § IV.

*De quarto relationis Capite ad Clerum regularem pertinente.*

Omnia Monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere, quae hic de iis referri possent jam supra § I *de Ecclesiae statu quaest. 8<sup>va</sup>* fuerunt memorata.

#### § V.

*De quinto relationis Capite ad Moniales pertinente.*

Pari modo Monialium Claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabiliora supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata.

Ceterum in tribus Monasteriis Virginum Anglicarum statuta rite servantur, et clausura simul, in quantum ab hujus ordinis regulis praescribitur. Confessarius ordinarius earum nec non extraordinarius a me assignatus est. Visitavi jam saepius, nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo majora quotidie capit incrementa.

#### § VI.

*De sexto relationis capite ad Seminarium spectante.*

##### *I. Quot sunt in Seminario Alumni?*

Ad 1<sup>mum</sup>: In Seminario Clericorum circa 97, in Seminario puerorum circa 183 Alumni aluntur.

##### *II. An Ecclesiastica disciplina recte instituantur?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos seminarii antistites et rectores.

##### *III. Quibus studiis vacent?*

Ad 3<sup>ium</sup>: Repetuntur imprimis omnes principaliores theologiae partes, quas alumni in publica universitate audierunt, ut ita vel neglecta suppleantur vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Lithurgiae et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

*IV. An Cathedrali et aliis locis Ecclesiae diebus festis inserviunt.*

Ad 4<sup>tum</sup>: Diebus dominicis et festivis chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

*V. An cum consilio duorum Canoniorum Seniorum a me electorum necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Statui **cum consilio totius capituli Ecclesiae Cathedralis**.

*VI. An illud aliquando visitem, et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones seminarii clericorum et puerorum strictissime observentur.

*VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur, et aliqui sint morosi in ejus solutione?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Taxa tantum in vetere Dioeceseos parte stabilita fuerat, in ea parte, quae olim Archiepiscopatus Salisburgensi suberat, atque ad Archiepiscopatum Monacensem transierat, tandemque nobis incorporata fuit, nulla pro Seminario taxa nec stabilita nec soluta fuerat. Concurrunt autem nunc donis gratuitis ad id evocati, ceteri etiam stabilitam taxam exacte solvunt.

§ VII.

*De septimo relationis capite ad Ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.*

*I. An in sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et Anniversariorum?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabellae.

*II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae, et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si sint anniversaria Episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera implere parochis gravissime injungitur, nec ab ulla confraternitate vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi foundationis valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationes ab horum locorum administrationibus?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Ut supra dictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta patriae lege soli brachio saeculari et magistratibus incumbit.

*IV. An montem pietatis etc.?*

*V. An infirmorum hospitalia visitaverim et redituum rationes exegerim etc.?*

Ad 4<sup>tum</sup> et 5<sup>tum</sup>: Ut dictum in redituum et administrationis ratione istae Communitates et montes pietatis magistratibus solis subjectae sunt.

§ VIII.

De octavo relationis capite ad populum pertinente.

*I. Quinam sunt populi mores et an pietate proficiat?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Negari non potest populi mores vel legum indulgentia vel maxime bellorum praeteritorum pravis exemplis **et hoc tempore spiritu seditionis et subversionis** maxime in civitatibus in multis fuisse corruptos. Ast populus maxime antiquae Patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret: et si Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarium digni, pietate et scientia praediti sacerdotes instituantur, sperari potest, Deo auxiliante **meliolem morum statum** revocandum fore. De cetero omne studium et operam in his et aliis omnibus, quae **ad officium meum** spectant, impendere non omittam, atque Dei auxilio confisus, nisi omnia religionis et societatis vincula dirumpantur, spero castigatiores mores restabiliendos fore.

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam Consuetudo, quae consilio et adjutorio Sedis Apostolicae indigeat?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo custodiente Deo in hac Ecclesia seu Dioecesi irrepsit.

## § IX.

*De ultimo relationis capite ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennialium et quinquennialium praesertim mihi benignissime impertiri dignatus est, ut ad regendam confisam mihi Dioecesin sufficientes mihi videantur.

Quapropter importunum judico Sanctissimum Patrem pro ampliandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

Quoniam autem Ecclesiae navis novis identidem procellis impetitur, si quae novae facultates ad regimen Ecclesiae requirentur, humillimas preces pro rerum circumstantiis adhibebo atque de Summi Pontificis innata clementia confido.

Primam meam relationem, quadriennium ab anno 1840 usque ad annum 1844 amplectentem, Romam ad Sanctam Sedem ipse attuli sacra Sanctorum Apostolorum Limina personaliter visitans.

In votis ardentissimis erat, ut etiam hanc secundam meam relationem quadriennium ab anno 1844 usque ad annum 1848 comprehendentem Romam afferem et Sanctorum Apostolorum limina praesens ipse vistarem; sed impedimenta invincibilia obsteterunt: rerum publicarum conversio in Germania et Bavaria et tumultus ubique erumpentes, tunc seditiones et bella in Italia, quae aditum Sanctae Sedis nobis Germanicis occluserunt. Quapropter humillime deprecor, ut ob praedictas difficultates per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a visitatione personali sacrorum Sanctorum Apostolorum Liminum pro hac vice absolvar et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.

Ad hoc munus implendum Secretario Legationis bavaricae apud Sanctam Sedem, equiti de Mehlem<sup>73</sup> speciale mandatum dedi.

Ceterum spero, Dei spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

---

<sup>73</sup> Zu Franz Joseph Mehlem (1781-1858), nach seiner Pensionierung Agent der bayerischen Bischöfe beim Päpstlichen Stuhl: Walter Schärli, Die Zusammensetzung der bayerischen Beamtschaft von 1806 bis 1918, Kallmünz 1955, 326 (Nr. 619); Georg Franz-Willing, Die bayerische Vatikangesandtschaft 1803-1934, München 1965, 35.

Denique Eminentissimis Patribus et sacri Concilii interpretibus, ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverendissime exosculor, meam erga Ecclesiam romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adjutorio confisus, iterate promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo, ac me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii interpretum

Passavii 30 Decembris 1848.

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum Servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

## 1851

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibito. 1851.

§ I.

*De primo Relationis capite.*

*De statu Ecclesiae Passaviensis materiali.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a seculo octavo i. e. anno 737 cum devastata ab Hunis civitate Laureacensi, quae erat sedes Episcopalis, Episcopus Vivilo vel Wufilo nomine una cum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum duce Odilone liberatissime exceptus fuisset. Extenderant se fines Dioeceseos Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua ad ipsam quoque pertinebat, usque in Pannoniam et Moraviam, quarum regionum populi usque ad adventum S. Bonifacii quoad pastorale munus tunc temporis a Sede Passaviensi dependebant. S. Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem et occidentalem partem novis creatis Episcopis submitit, quibus novas sedes nempe Salisburgam, Frisingam et Ratisbonam assignavit.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-passaviensis se extendit, cum Moraviam et partem Pannoniae includeret, usque dum ad finem saeculi noni et initium decimi sub Episcopo Passaviensi Richardo Moravia proprios Episcopos obtinuit.

Tandem sub Episcopo nomine Christiano, qui ab anno 991 usque ad annum 1013 Ecclesiam Passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano I Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatus fundati fuere; et anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem Episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen, ut ad ultima usque tempora etiam Vicarius generalis ab Episcopo Passaviensi constitutus, Viennae resideret; qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam et Lincium remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra Onasam, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia B. V. M. ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret. De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars quae vocatur sylva Viennensis cum Archiepiscopatu Viennensi unita fuit. Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub Imperio Josephi II. Austriaci, Romani Imperatoris, qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi et Principe Cardinali de Firmian omnes ditionis suae Ecclesias ab episcopalis Ecclesiae Passaviensis Auctoritate avulsit, atque Lincii civitate, in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit.

Hoc autem tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passaviensis in Austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus et Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento **retineret**, donec Princeps Episcopus Comes de Auersperg, Cardinalis de Firmian Successor, petitionibus Imperatoris unacum Capitulo consentiens pro Dotatione novi Lincensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret.

Quamquam haec omnia florentem hanc ac antiquis[s]imam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen divina sic sapientia disponente, ei reservata fuerunt detrimenta.

Annus Saecularisationis 1802 **omnia** evertit non tantum, quae a mundo pretio habentur; oblata thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia et ornamenta direpta vel dispersa; sed etiam anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret, sed, quod maxime **etiam** ex manifestis rationibus plangendum, Episcopus et Princeps Leopoldus de

Thun, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede tandem annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem in Regno Bohemiae coemptam, secessit, ibique per annos 23 commoratus anno 1826, 22<sup>do</sup> Octobris obiit.

Huic successit in Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona, qui nominatus est a Ludovico Rege Bavariae, confirmatus a. p. m. Papa Leone XII. in Consistorio sub IX. Aprilis 1827, consecratus 25. Aprilis ejusdem anni.

Defuncto Episcopo Carolo Josepho, 25. Maji 1839 ego indignus et immeritus a Ludovico Bavariae Rege in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum **nominatus**, a Sanctitate Sua p. m. beatissimo Papa Gregorio XVI in Consistorio sub 23. Decembris 1839 habito promotus et confirmatus atque 25. Februarii 1840 consecratus fui et 17. Martii ejusdem anni Ecclesiae Passaviensis regimen, spe divini auxilii fretus ingressus sum.

## *II. Confinia.*

Ad 2<sup>dum</sup>: Ecclesia Passaviensis post **tot** discrimina rerum tandem per Concordatum inter Sanctissimum Dominum p. m. Pium VII. Pont. Max. et Maximilianum Josephum, Regem Bavariae initum fixos obtinuit limites, firmioremque ut in Domino speramus existentiam, nam omnipotens Deus, qui restituet eam et confirmabit.

Cum limites Dioeceseos in Bulla circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri” accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen jurabit Parochias: Ainring, Anger, Fridorffing, Inzell, Kay, Laufen, Marzoll, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, Salzburghofen, Surberg, Teisendorf, Tittmoning, Waging, et St. Zenonis, quae ad Archidioecesin Salisburgensem pertinebant, et in Bulla Circumscriptionis de dato 8. Sept. 1821 Dioecesi Passaviensi, quacum ne minime quidem continguae erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice Parochias, Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Feichten cum Vicariatibus St. Crucis et Tyrlaching, Halsbach, Raitenhaslach, Veteroettinga, Alzgern, Burgkirchen ad sylvam, Kastl, Neo-Oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reischach, Reit, Stamham, Unterneukirchen, Winhöring cum beneficiis Heiligenstadt, Tißling, Klebing, Markt, Taubenbach, Wald, Dioecesi Passaviensi, utpote illi proxime adjacentes et continguas assignatas esse, quo facto circumscriptio Dioecesis Passaviensis a sacra apostolica Nuntiatura Monachii 8<sup>va</sup> Decembris 1822 modo definitivo facta et declarata fuit. Generatim autem sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe: ad Orientem



Dioecesim Linziensem in Austria, ad meridiem Dioecesim partim Linziensem et Monaco-Frisingensem **ac Ratisbonensem**; ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem ac Ratisbonensem, ad Aquilonem Dioecesim Budvicensem in Bohemia.

### *III. Privilegia et Praerogativae Episcopatus.*

Ad 3<sup>ti</sup><sup>um</sup>: Episcopi Laureaco-passavienses antiquis temporibus saepe archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab apostolica sede condecorati fuerunt. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos, erectis in Hungaria duobus Archiepiscopatibus, abrepta fuisset. Hujus tituli loco ab Ottone III Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia.

Cum variae dissensiones inter Salisburgensem et Passaviensem Ecclesiam propter Praecedentiam exortae fuissent anno demum 1728 Ecclesia Passaviensis sub Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg a Summo Pontifice ut exemta, immediateque S. R. Sedi subjecta declarata fuit; quod inito novissimo Concordato, dum Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi concordati autem nunc a Sede Metropolitana Monaco-Frisingensi dependet.

### *IV. Numerus Civitatum, oppidorum et locorum, qui Episcopatui subjecti sunt.*

Ad 4<sup>tu</sup><sup>m</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecesibus haec Dioecesis Passaviensis, et quidem ex rationibus supra allatis. Non numerat nisi **276,350** Catholicos.

Civitates easque non amplas, non nisi 7 numerat, nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Neuoetting, Landau, Osterhofen et Vilshofen. Cetera in Bulla Circumscriptionis latissime describuntur, atque quaedam sub N<sup>o</sup> 7<sup>mo</sup> hujus paragraphi enarrabuntur.

### *V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad 5<sup>tu</sup><sup>m</sup>: Ecclesia Cathedralis optime conservata Deo sacra est sub titulo S. Stephani Proto-Martyris. Aedificium, quamvis Sacrarium exterius referat architecturam Gothicam, interius est Architecturae Romanae, et quidem pulcherrimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae in hoc stylo dici mereatur excellens, et Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum, ut concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum et Decanum, cum Octo Canonicis et sex Vicariis, et recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo duos etiam sustentat Capellanos, qui Canonico, Ecclesiae Cathedralis Parocho, in animarum cura sunt adiutorio. Onera fundo Ecclesiae Cathedralis infixae accurate implentur. Fons baptismalis in Ecclesia ipsa existit, asservantur etiam insignes Reliquiae, praesertim S. Maximiliani Episcopi Laureacensis et Martyris, S. Valentini Episcopi Confessoris, qui Passavii ex mandato S. Leonis Papae verbum Dei praedicavit ad medium seculi quinti; sed ab incolis partim ethnicis partim Arianis, ad nostram confusionem dictum sit, finibus eorum expulsus fuit; tandem S. Corbiniani Episcopi Confessoris, qui saeculo octavo pietate et indefessis apostolicis laboribus floruit.

Adsunt necessaria etsi non numerosa nec tam splendida ut olim suppellectilia tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda. Chorus tria organa sat splendida habet et duo Campanilia cum campanis ornant Ecclesiam; Coemeterium autem extra suburbium ad dimidium horae spatium existit, muro munitum et clausum, juxta quod Ecclesia antiquissima Sancto Severino hujus loci Apostolo celeberrimo dicata, conspicitur. Reditus fabricae quoad necessarium sufficiunt. Munera summi Custodis unus ex Canonicis gerit, pro officio autem et Theologi et Poenitentiarum duo Canonici a me constituti sunt, quorum unusquisque habet peculiarem suam et sufficientem praebendam. Omnes Dignitarii et Canonici in regenda Dioecesi mihi sunt a Consiliis. Omnia in plena Consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui etiam Expeditiones ordinarias subscribit, et unus e Canonicis Cancellariae Directoris **munus** gerit. Pro causis matrimonialibus consilium separatum sub nomine Consistorii constitui, cui canonicus ut officialis praeest, et duo e Canonicis ut Consiliarii cum voto decisivo assistunt.

#### *VI. Status Ecclesiarum collegiatarum.*

Ad sextum: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioecesis limitibus non nisi duo exstiterunt, nempe Vilshofii et Veteroetingae; quae anno praedicto omnino sublatae sunt.

#### *VII. Status et numerus Ecclesiarum parochialium, nec non et aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum.*

Ad septimum: Status animarum catholicam Religionem profitentium et ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad Numerum ut supra numero 4<sup>to</sup> indicavi: **276,350**<sup>74</sup>.

Parochiae numerantur .....	149
E[x]positurae seu Curatiae .....	36
Parochi .....	<b>143</b>
Expositi seu Curati .....	<b>29</b>
Beneficia stabilia .....	<b>49</b>
Beneficia cum paroecia seu Cooperatura vel Expositura aliqua unita .....	8
Beneficiati .....	<b>54</b>
Capellani seu Parochorum Cooperatores et Adjutores .....	<b>179</b>
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	<b>8</b>
Professores .....	7
Commorantes .....	<b>11</b>
Monachi in monasteriis neo-erectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis, ex quibus tamen modo septem paroeciis praesunt .....	<b>51</b>
Presbyterorum Summa excepto Capituli gremio et Vicariis .....	<b>475.</b>

*VIII. Numerus Monasteriorum tum virorum quam mulierum.*

Ad octavum: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum et mulierum Monasteriis et diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus ex iis perierunt:

Mendicantium monasteria et hospitia, nempe Franciscanorum et Capucinatorum .....	7
Praelaturae Canonorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium et Cisterziensium .....	8
Monasteria virginum .....	3
.....	18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis tres communitates Ordinis Capucinatorum, nempe Burghusii ad Salzam, Veteris Oettingae et Neo-Oettingae, quorum et sacerdotibus non solum licet Eleemosinas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam eas apud fideles colligere.

Hi tres conventus numerant

<sup>74</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1852, 122-127.

Sacerdotes .....	18
Clericos Novitios .....	5
Fratres laicos .....	18
.....	In summa 41.

Favente Deo Veter-Oettingae etiam domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris juxta regulam sancti Alphonsi a Liguorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur.

Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioecesis Passaviensis sed omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent.

Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus

Patres professos .....	22
Novitios .....	1
Audentes clericos .....	4
Fratres laicos .....	9
.....	In summa 36.

Hanc domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veter-Oettingae Ludovicus I. Bavariae Rex oer decretum mense Februarii A. D. 1848 emissum ad consternationem fidelium quam maximam sine ulla cauasa sustulit. Ego autem omnibus viribus, quibus potui, executioni hujus decreti regii restiti, et adjuvante Deo, hunc finem adeptus sum, ut executio istius regii decreti sit suspensa.

Firmiter spero, me, favente Deo, opera mea et contentionibus meis eo esse perventurum, ut mandatum istius regii decreti non peragatur, et status pristinus hujus domus Congrationis [!] Sanctissimi Redemptoris Veter-Oettingae omnino illaesus in posterum reservetur.

Usque ad hanc horam patres hujus domus a regimine regio nullo modo impediuntur, in muneribus suis ab eo omni modo agnoscuntur, redditus dotationis domus Congregationis sine diminutione accipiunt, novitiatum et studia propria habent, novitii et studentes libere admittuntur.

Tres conventus Capucinorum Burghusii, Veter-Oettingae et Neo-Oettingae et domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae quoad exercendam curam et cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum anglicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii et Veteris-Oettingae, restitutis ipsis possessionibus,

quibus prius fruebantur. Tertia hujuscemodi communitas Passavii erecta et partim fundata est ab Antecessore meo Episcopo Carolo Josepho.

Inserviunt hae Virgines instructioni et educationi puellarum cum maximo fructu et subjacent Episcopi; quoad Oeconomica autem ipsae Virgines quidem eadem administrant, subsunt autem in his superinspectioni regiminis regii.

Morantur in conventu

a) Veteroettingae

Virgines .....	21
Sorores .....	12
.....	33

b) Burghusii

Virgines .....	24
Sorores .....	7
.....	31

c) Passavii

Virgines .....	23
Sorores .....	7
.....	30
.....	In Summa 94.

Domus Virginum sub titulo „Sorores pauperes scholas puellarum curantium” Aidenbacii neo-erecta numerat

Virgines professas .....	2
.....	In Summa 2.

*IX. An adsit in dioecesi Seminarium clericorum?*

Ad 9<sup>num.</sup>: Adest Seminarium clericorum.

Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium Clericorum tantummodo pro quindecim Alumnis institutum inveni.

Sed cum tali modo legibus ecclesiasticis circa hanc rem et bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam, ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae diciplinae tollerentur.

Adjuvante Deo nunc post **decem** annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optime instructae sunt et trecentos alumnos commode suscipere possunt.

Anno currenti 317 alumni in his domibus versantur.

Secundum praecepta sacrosanctae Synodus Tridentinae juvenes, qui ad sacros ordines aspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur, et in disciplinis ecclesiasticis erudiuntur.

Exstat igitur in praesenti Passavii Seminarium clericorum et Seminarium puerorum juxta praecepta Sacrosanctae Synodus Tridentinae sensu strictissimo.

Sustentantur juvenes et pueri in hisce domibus recepti, partim ex dotatione fundata, partim ex mensa mea episcopali et ex eleemosynis, quas clerus et populus de precibus meis large subministrat.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad 10<sup>mum</sup>: Quaelibet civitas habet hospitale, et etiam in oppidis inveniuntur. Eorum autem calculus et directio Magistratibus et Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni parochia existunt ac multum ad religionem promovendam pauperesque quandoque Ecclesias sustentandas conferunt. Earum redditus autem, qui maximopere ex oblationibus sodalium proveniunt, a communitate unacum parrocho juxta Bavariae constitutionem administrantur.

Collegia nulla existunt.

*XI. An adsint montes Pietatis?*

Ad 11<sup>mum</sup>: Mons Pietatis unice Passavii exi[s]tit, isque Magistratui et gubernio subest, nec unquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

§ II.

*De secundo relationis capite ad me ipsum pertinente.*

*I. An residentiae praeceptum impleverim?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

*II. An et quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Primum Dioecesim generaliter vistavim, tunc visitationem canonicam et specialem institui, ita, ut nunc omnes parochias et curatias cum ecclesiis et sacellis suis etiam minimis in tota Dioecesi stricte visitaverim.

In omnibus ecclesiis parochialibus et curatis in hac visitatione santissimum Missae sacrificium obtuli, et verbum divinum ad eridendum populum praedicavi.

Hanc visitationem specialem et canonicam omnino in tota Dioecesi absolvi in mense Augusti anni elapsi 1850.

*III. An per me vel alium Episcopum sacras ordinationes expleverim et Confirmationis sacramentum administraverim?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Ordinationes sacras semper per me ipsum explevi et confirmationis Sacramentum **diligentissime semper** ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi erant, confirmati fuerint.

*IV. An et quoties Synodum coëgerim?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Synodum **usque ad annum 1849** non coëgi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia est, ut istae superari possent. Juxta indultum tamen apostolicum testes Synodales constitui, qui in omnibus alicujus momenti objectis unacum Decanis ruralibus consuluntur, quapropter similia ista ponderantur, ac si in coacta Synodo fuissent deliberata.

**Anno 1849 autem, ut etiam in hac parte muneri episcopali satisfacerem, synodum cogendam indixi. Jamque decreta de synodo cogenda universo clero totius Dioeceseos insinuata erant, cum per Nuntiaturam Apostolicam litteras a Sancta Sede ad Episcopos Bavariae directas acciperem, quae propter tempora nimis exagitata et nisi synodis provincialibus praemissis synodos non esse compellendas constituerent. Et revera hae litterae Apostolicae bono Ecclesiae in Germania in hisce rerum circumstantiis optime consuluerunt et magna detrimenta averterunt. Synodum indictam sine mora renuntiavi<sup>75</sup>.**

*V. An verbum Dei per meipsum praedicaverim, an per alios viros idoneos?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Verbum Dei per me ipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluente, quam in Ecclesiis ruralibus occasione visitationum et administrationis sacrosancti confirmationis sacramenti. In Ecclesia Cathedrali verbum divinum in omnibus diebus festis praedico.

---

<sup>75</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 45f, 59-62; Zacher (wie Anm. 1) 184-187; Würdinger (wie Anm. 43) 158f.

*VI. An habeam Depositorium poenarum et mulctarum pecuniarium, et an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad 6<sup>um</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias indicere non licet; quare nihil de his dicendum.

*VII. Quanam Taxa et an Innocentiana observetur?*

Ad 7<sup>um</sup>: Observatur in cancellaria episcopali taxa moderatissima juxta antiquam observantiam. Ex antiqua conventionione cum Ducibus Bavariae inita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipit; ita ut a Massa detractis expensis et legatis ac facultate paterna quinque ex centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii, et jurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis Ecclesiarum?*

Ad 8<sup>um</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna constitutionalis illa legislatio, insuper et protestantissimus (!!) indifferentismusque, et hoc tempore spiritus malignus seductionis et subversionis, qui omne bonum perdere conatur.

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo aut pro clero?*

Ad 9<sup>um</sup>: Si a Superiore evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt, quae Deo adjuvante complevi:

Domus congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae cum sufficiente dotatione me curante instituta est.

Seminarium puerorum juxta praeceptum Sacrosanctae Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi, ita ut nunc circa 300 alumni in hoc Seminario recipiantur.

Ecclesiam Cathedralem injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi.

Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato stylo Romano magnificentissime exstruxi.

Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi et in ea viam Crucis ex tabulis magnis et artificiose celatis erexi.

Alias duas capellas Ecclesiae Cathedrali contiguas restitui.

Ecclesiam ad S. Salvatorem Passavii tempore saecularisationis devastatam et venditam recuperavi et restorationi ejus mille florenos ex meis facultatibus impendi.



In domo Episcopali ex meis facultatibus pulcherrimam capellam extruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum sacrificium offero.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerceo.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

Magna et multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter et fideliter pugnavi, in utilitatem et honorem Ecclesiae ceciderunt.

Haec omnia in primo quadriennio episcopatus mei curavi.

Quae autem quadriennio primo elapso praedictis bonis operibus interea in secundo **et tertio** quadriennio accesserunt, sunt hac:

Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte prope Passaviam sitam, frequentia fidelium celeberrimam sed negligentia et vetustate deperditam magnificentissime restauravi, ita ut auro et ornamentis resplendeat.

Quindecim mysteria sancti Rosarii Beatissimae Virginis Mariae in tabulis magnis arte sculptili repraesentata curavi, ita, ut prope Ecclesiam praedictam singulum mysterium in singulari sacello dispositum sit.

Domus pro sacerdotibus saecularibus apud dictam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis in monte sita, quae usque adhuc tantum quatuor vel quinque sacerdotes recipere potuit, ita a me amplificata et adaptata est, ut nunc viginti presbyteri saeculares in illa versentur, qui vitam communem degentes, divino cultui in Ecclesia illa inserviunt, horas canonicas communiter in choro celebrant, et ingenti multitudini ad Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis peregrinatum verbum divinum praedicant et sacramenta confessionis et Sanctissimae Eucharistiae administrant.

In eodem monte prope Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis singularem domum pro exercitiis spiritualibus institui, ita ut presbyteris hujus Dioeceseos occasio data sit, hac recreatione spirituali deinceps per totum annum fruendi.

Ibidem aliam domum constitui pro presbyteris propter delicta corrigendis.

Alteram domum in illo loco paravi, ubi presbyteri suspensi et cura animarum privati detineantur.

Ad augendam dotationem istarum domorum clericalium donationem eis feci in fundis, qui circa sex millia florenorum pretium habent.

Pro Seminario Alumnorum in civitate Passaviensi hortum latissimum comparavi.

Ad recreationem puerorum et juvenum in Seminariis ecclesiasticis degentibus villam amplissimam prope Passaviam amoenissime sitam et variis hortis et agris instructam acquisivi.

Pro Seminariis a me fundatis hucusque summam quadraginta duorum millium florenorum ex facultatibus meis impendi.

Reliquias Sanctorum Ecclesiae Cathedralis tempore saecularisationis dispersas et neglectas opere quam maximo collegi, et in vasis, ut optime tueantur, dignissime composui.

Sacerdotalia indumenta pro Ecclesia Cathedrali in ordinem optimam redegei, illa adauxi, et pro asservandis illis ceterisque ecclesiasticis ornamentis singulare et amplum aedificium adaptavi.

Pro bibliotheca Diaecesana [!] bene et utiliter disponenda aedem amplitudine et commoditate excellentem acquisivi.

Domum episcopalem sumptibus meis optime restauravi.

Numerosam et pretiosam collectionem picturarum, quae imagines Sanctorum repraesentant, ad capellam, quam in domo episcopali extruxi, dono dedi.

Ad exercitia spiritualia pro singulis presbyteris Dioeceseos singularem domum, ut supra dixi, constitui. Ut autem clerus totius Dioeceseos quot annis Passavii majori ex parte in Ecclesia Cathedrali me dirigente communiter exercitiis [s]piritualibus frui possit, omnia ad hunc finem circa suppellectilem, habitationem etc. necessaria comparavi, et his sumptibus prope quatuor millia florenorum impendi.

Tempore autumnali anno 1849 primo haec exercitia spiritualia pro Clero totius Dioeceseos institui<sup>76</sup>. Confluxit ad hunc finem magna frequentia cleri tota ex Dioecesi, et fructus exercitorum spiritualium erant magni et valde laetabundi.

Haec exercitia spiritualia pro clero totius Dioeceseos communia nunc omni anno tempore autumnali habentur.

Anno 1850 pro stabili foundationi Seminarii puerorum secundum normam Concilii Tridentini a me instituti ultra magnas erogationes, quas annis prioribus dedi, dotationem triginta millium florenorum ex meis facultatibus feci.

---

<sup>76</sup> Siehe dazu: Schematismus Bistum Passau 1850, 148f; Leitner (wie Anm. 1) 46; Zacher (wie Anm. 1) 150-154.

Quantum possum et pro facultatibus egenis et pauperibus subveni.

Obedientia compulsus haec omnia enarravi, quamvis scio [!], me servum inutilem esse, cui magis conveniat, ut defectus suos profiteatur, quam ut de suis bonis operibus loquatur.

### § III.

*De tertio relationis capite ad Clerum saecularem pertinente.*

*I. An canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecclesiae choro jugiter intersint?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Omnes choro, nisi infirmitate impediti, intersunt diligenter.

*II. An ultra matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrant Missam conventualem, eamque applicent pro Benefactoribus?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Recitantur in choro horae cum Vesperis et Completorio. Matutinum vero et laudes quisque privatim recitat. Sic res se habuit, cum regimen hujus Ecclesiae suscepi. Quae mihi autem de hac re Sacra congregatio rescripsit, praedictis canonicis insinuavi, qui singularem suam petitionem exhibebunt. Missa conventualis a Canonicis et dignitariis quotidie applicatur.

*III. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Super hunc articulum ad sacram Congregationem canonici Ecclesiae Cathedralis Passaviensis specialem relationem facient.

*IV. An qui obtinent praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Canonici obtinentes Praebendam Poenitentiarum et Theologalem accurate et plene munera sua implent.

*V. An Parochi in suis Parochiis resideant?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident nec ulli licet sine nostra licentia per plures dies abesse, pro quo casu iste, data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet, eumque nobis designare.

*VI. An librum matrimoniorum et Baptizatorum aliosque libros, quos ad Normam Ritualis Romani retinere debent, retineant.*

Ad 6<sup>um</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis ab haeredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?*

Ad 7<sup>um</sup>: Major parochorum pars propter plebis numerum vel parochiae ambitum uno cooperatore, alii etiam pluribus indigent; alii propter infirmitatem vel senium cooperantis adiutorio utuntur.

*VIII. An iisdem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?*

Ad 8<sup>um</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipsi incitentur, sed Decani etiam sollicite desuper invigilare teneantur. Adjutores autem et juniores sacerdotes ad finem anni conciones et catecheses diligenter elaboratas scripto ad Consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi stricte censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem Dominicis et aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad 9<sup>um</sup>: Parochi vel iis legitime impeditis eorum Capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scholis publicis tam pueros quam puellas in Religionis scientia instruere et examinare, et insuper etiam scholis festivis, quas pueri et puellae a 12<sup>mo</sup> aetatis anno usque ad 18<sup>um</sup> annum frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita ut ex hac parte doctrina christiana frequentius tractatur, quam alias solitum fuerat.

Injunctum est praeterea Parochis, ut in diebus dominicis loco homiliarum vel concionum, catechetica instructionem secundum ordinem Catechismi Romani tradant et prosequantur; ita ut etiam adulti in cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur: hanc instructionem autem modo adultis magis conveniente, id est ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore quadragesimae a Parochis specialiter innupti et innuptae super sacramenta Confessionis et Eucharistiae, super necessarios fidei articulos,

super officia cujusque status etc. separatis hebdomadis diebus diligentissime in quaque Parochia instruuntur et examinantur. Quod ut diligentius, secundum cujusvis indigentiam, praestari possit, statutis diebus, iisque non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli Parochi ceterique curam animarum exercentes singulis domi[ni]cis festisque de praecepto, Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad 10<sup>mum</sup>: Omnes Parochi juxta Praescriptum applicant exceptis tamen iis Cooperatoribus, qui sacra facere debent in Ecclesia filiali, cum Parochus pro tota Parochia applicet.

*XI. An et quae praemittantur antequam quis ad Tonsuram et ordines minores admittatur, et an sacris ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad 11<sup>mum</sup>: Ad primam Tonsuram vel minores Ordines admittendi afferre debent testimonium baptismatis ac confirmationis unacum studiorum testimoniis ac etiam testimonium morum a proprio parochi; dein sicut et ceteris ordinibus initiandi subire debent examen rigorosum, vel in pleno consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinadoribus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia Ordinationi in hujus loci seminario praemittuntur.

*XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?*

Ad 12<sup>mum</sup>: Habitus clericalis et decens una cum tonsura Clericis et Presbyteris dignus cunctis stricte inculcatur et etiam defertur, perpauca tantum aliquot modo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu Casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad 13<sup>tium</sup>: Hae conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt.

Existimo magnam distantiam Parochiarum a sede Decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod

Neo-Ordinati Presbyteri curaeque animarum exponendi pro cura non nisi ad annum adprobentur et antequam is elabatur, novum Examen apud constitutum Examinatorem subire cogantur, aliquae quaestiones etiam scriptae solvendae sint, quae unacum Examinatoris iudicio ad nos mitti debeant. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio secunda vice non nisi ad biennium datur adprobatio, quo elapso examen iterare eodem modo coguntur; dein post triennium et tandem post quinquennium, ultra quod nullus adprobari solet, nisi sit probatae scientiae et stabili beneficio provisos. Hoc fit ut quisque studia diligenter persequi cogatur, quae autem de hac re sacra Congregatio rescripsit exsequi studebo.

*XIV. Quinam sint mores Cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad 14<sup>tum</sup>: Longe major pars Cleri confirmat opere quod praedicat. Cum tamen post saecularisationem per 23 et ultra annos nec seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, mirandum non est, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast Deo adjuravante mundabitur area aliis paterna correctione, aliis severiore disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia praesertim autem institutione aptissima in Seminario episcopali recepta a lapsu cohibitis.

§ IV.

De quarto relationis capite ad Clerum regularem pertinente.

Omnia Monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere, quae hic de iis referri possent, jam supra § I de Ecclesiae statu quaest. 8<sup>va</sup> fuerunt memorata.

§ V.

*De quinto relationis capite ad Moniales pertinente.*

Pari modo Monialium claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabiliora supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata.

Ceterum in tribus monasteriis Virginum Anglicarum statuta rite servantur, et clausura simul in quantum ab hujus ordinis regulis praescribitur. Confessarius ordinarius earum nec non extraordinarius a me assignatus est. Visitavi jam saepius, nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo majora quotidie capit incrementa.

§ VI.

*De sexto relationis capite ad Seminarium spectante.*

*I. Quot sint in Seminario Alumni?*

Ad 1<sup>mum</sup>: In Seminario Clericorum 104, in Seminario puerorum Alumni 213 aluntur.

*II. An ecclesiastica disciplina recte instituat?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos Seminarii antistites et rectores.

*III. Quibus Studiis vacent?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Repetuntur imprimis omnes principaliores theologiae partes, quas alumni in publica universitate audierunt, ut ita vel neglecta suppleantur, vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Lyturgiae et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

*IV. An Cathedrali et aliis locis Ecclesiae diebus festis inserviunt?*

Ad 4<sup>tum</sup>: Diebus dominicis et festivis chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

*V. An cum consilio duorum canonicorum Seniorum a me electorum, necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad 5<sup>tum</sup>: Statui cum consilio totius capituli Ecclesiae Cathedralis.

*VI. An illud aliquando visitem et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad 6<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones Seminarii clericorum et puerorum strictissime observentur.

*VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in ejus solutione?*

Ad 7<sup>mum</sup>: Taxa tamen in veteri Dioeceseos parte stabilita fuerat, in ea autem parte, quae olim archiepiscopatus Salisburgensi suberat; atque ad archiepiscopatum Monacensem transierat, tandemque nobis incorporata fuit, nulla pro Seminario taxa nec stabilita nec soluta fuerat. Concurrunt autem nunc donis gratuitis ad id evocati, ceteri etiam stabilitam taxam exacte solvunt.

§ VII.

*De septimo relationis capite ad Ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.*

*I. An in sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et Anniversariorum?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabellae.

*II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera, a testatoribus injuncta?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si sint anniversaria, episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera **exacte** implere parochis gravissime injungitur, nec ab ulla confraternitate vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi foundationis valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationes ab horum locorum administrationibus?*

Ad 3<sup>tium</sup>: Ut supradictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta patriae leges soli brachio saeculari et Magistratibus incumbit.

*IV. An Montem pietatis etc.?*

*V. An infirmorum hospitalia visitaverim et redituum rationis exegerim etc.?*

Ad 4<sup>tum</sup> et 5<sup>tum</sup>: Ut dictum, in redituum et administrationis ratione istae communitates et montes pietatis magistratibus solis subjectae sunt.

§ VIII.

*De octavo relationis capite ad populum pertinente?*

*[I.] Quinam sint populi mores et an pietate proficiat?*

Ad 1<sup>mum</sup>: Negari non potest, populi mores vel legum indulgentia vel maxime bellorum praeteritorum pravis exemplis et hoc tempore spiritu seditiois et subversionis maxime in civitatibus multis fuisse corruptos. Ast populus [!] maxime antiquae Patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret: et si Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarum digni, pietate et scientia praediti sacerdotes



instituantur, sperari potest, Deo auxiliante meliorem morum statum revofore. De cetero omne studium et operam in his et aliis omnibus, quae ad officium spectant, impendere non omittam, atque Dei auxilio confisus, nisi omnia religionis et societatis vincula dirumpantur, spero castigatioris mores restabiliendos fore.

In primis clerus et populus hujus Dioeceseos ultimis elapsis annis in quibus in Germania ubique seditioes et tumultus adversus auctoritatem publicam erumpebant omni laude dignissimum se exhibuit. Nam Clerus morum probitate et gravitate, obedientia et reverentia erga ecclesiasticas leges et auctoritatem ecclesiasticam excellens ab omnibus infidiis et perturbationibus adversus civilem et ecclesiasticam auctoritatem tunc comparatis ita omnino abstinuit, ut nec unus ex ordine clericorum hujus Dioeceseos ob talem causam puniendus vel corrigendus exstiterit.

Populus autem non minus ita pie et honeste se gessit, ut nec secta detestabilis Rongeanorum<sup>77</sup> apud illum aditum aliquem sibi patefacere, nec ullus conventus politice democraticus ne in uno quidem loco se constituere posset. Quinimo tunc temporis sicut et nunc populus Dioeceseos pro piis operibus et splendore ecclesiarum magna et multa munera obtulit et Seminario puerorum, quod adjuvante Deo suscepto Dioeceseos regimine institui, ita largiter donis et oblationibus subvenit, ut anno current plus quam trecentos pueros et juvenes in Seminario alere et educare possim.

Civitas autem Passaviensis, in qua sedes Episcopalis est, ita tranquillitatem, ordinem, reverentiam et odedientiam erga publicas auctoritates tam civiles quam ecclesiasticas conservavit, ut nec minima vel die vel nocte in illa perturbatio erumperet; et quantum scio, haec paene unica major civitas in Germania est, quae nullis turbis politicis obstringebatur.

Quare Rex noster Maximilianus II.<sup>78</sup>, cum hanc partem Regni sui visitaret, ob hunc rerum statum valde laetatus mihi ipsi dixit: „Se nunc expertum habere, catholicam religionem certissimum esse pignus fidei subditorum erga personam suam Regiam. Si unquam res male evenirent, Passavii residere sibi proposuisse et illo tempore, cum ubique magnae perturbationes exorientur, jam in eo fuisse, ut propositum hoc perageret.”

---

<sup>77</sup> Anhänger von Johannes Ronge (1813-1887), Mitinitiator des Deutschkatholizismus. – Zu ihm: Andreas Holzem, Art. Ronge, in: Lexikon für Theologie und Kirche VIII<sup>3</sup> (1999) 1295f.

<sup>78</sup> Zu Maximilian II. (1811-1864), von 1848 bis 1864 König von Bayern: Andreas Kraus, Art. Maximilian II., in: Neue Deutsche Biographie 16 (1990) 490-495.

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae Consilio et adiutorio Sedis Apostolicae indigeat?*

Ad 2<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo custodiente Deo in hac Ecclesia sede [!] Dioecesi irrepserit.

§ IX.

*De ultimo relationis capite ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennatum et quinquennialium praesertim mihi benignissime impertiri dignatus est, ut ad regendam confisam Dioecesein sufficientes mihi videantur.

Quapropter importunum iudico, Sanctissimum Patrem pro ampliandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

Primam meam relationem quadriennium ab anno 1840 usque ad annum 1844 complectentem Romam ad sanctam sedem ipse attuli, sacra Apostolorum limina visitans.

In votis ardentissimis erat, ut etiam secundam meam relationem quadriennium ab anno 1844 usque ad annum 1848 comprehendentem Romam afferrem et sacra Apostolorum limina praesens ipse visitarem, sed impedimenta invincibilia obstetuerunt: rerum publicarum conversion in Germania **et Italia**, tumultus, seditiones et bella ubique erumpentes, quae aditum Sanctae Sedis nobis Germanicis occluserunt. Quapropter humillime **deprecatus sum**, ut ob praedictas difficultates per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a visitatione personali sacrorum Ss. Apostolorum pro illa vice absolver et mihi concedatur, eandem visitationem per mandatarium praestare.

Ad hoc munus implendum Secretario Legationis Bavaricae apud Sanctam Sedem, equiti de Mehlem, special mandatum dedi.

**Cum autem firma fide opinatus essem, me tali modo obligationibus meis omnino satisfacisse, mense Aprilis 1849 a Reverendissima et Eminentissima Congregatione sacri Concilii interpretum resolutionem de dato 10 Martii 1849 hujus tenoris accepi.**

**„Precibus Ampl. Tuae benigne annuentes Eminentissimi Patres S. Congregationis Concilii facultatem impertiuntur ejus Confessario illum absolvendi a Censuris et**

poenis in causis tam ob non impletam visitationem Sacrorum Liminum, quam ob non transmissam Relationem suae Ecclesiae praefixo termino, parique benignitate iidem Eminentissime Patres prorogationem concesserunt memoratae Amplitudini Tuae Biennii ad Sacra Limina visitanda, ita tamen ut infra prorogati termini spatium muneris sui partes obire non differat Ampl. Tua.”

Hac resolutione magno cordis dolore affectus sum, quoniam ut supra dixi, optima fide opinatus sum, primum quadriennium cum anno 1844 et secundum quadriennium cum anno 1848 finisse. Causam autem resolutionis praedictae non alio modo mihi explicare possum, quam in diversitate calculi circa quadriennia elapsa adhibiti.

Secundum computationem meam tertia mea relation finiente anno 1852 Romam transmittendum esset – sed omni humilitate decreto Reverendissimae et Eminentissime Congregationis Sacri Concilii me subjiciens hanc relationem mense Januarii hujus anni compositam pro tertio quadriennio nunc transmitti, ita ut quartam relationem pro quarto quadriennio dajuvante Deo tunc mense Januarii 1855 compositurus et transmissurus sum.

Quamvis autem maximo desiderio desideravi, ut hanc relationem ipse Romam afferem, ut sacra Apostolorum Limina visitarem, hoc votum implere tamen mihi impossibile erat, propter rerum circumstantias adhuc valde periculosas, quae cum causis jam supradictis cohaerent, ita ut sine maximo periculo et detrimento Diöcesios ex illa longiori tempore et intervallo abesse non possim, nisi vulpes insidiosae et lupi rapaces hisce temporibus undique imminentes, absente pastore gregem dederelictum invadant et lacerent.

Ob has igitur causas humillime procor, ut propter praedictas difficultates per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a visitaione personali Sacrorum Ss. Apostolorum Liminum etiam pro hac vice absolver et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.

Ad hoc munus implem Consiliario Legationis Bavaricae apud Sanctam Sedem equity de Mehlem special mandatum dedi.

Ceterum spero, Dei Spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et sacri Concilii Interpretibus, et per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverendissime exosculor, meam erga

Ecclesiam romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adjutorio confisus iterato promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo ac me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii interpretum

Passavii d. 31. Januarii 1851

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum Servum  
+ Henricum Episcopum Passaviensem.

### 1853

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita. A. D. 1853

§ I.

*De primo Relationis Capite.*

*De statu Ecclesiae Passaviensis materiali.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a seculo octavo i. e. anno 737, cum devastata ab Hunis civitate Laureacensi, quae erat sedes Episcopalis, Episcopus Vivilo vel Wulfilo nomine una cum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum duce Odilone liberalissime exceptus fuisset. Extenderant se fines Dioeceseos Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua ad ipsam quoque pertinebat, usque in Panoniam et Moraviam, quarum regionum populi usque ad adventum S. Bonifacii quoad pastorale munus tunc temporis a Sede Passaviensi dependebant.

S. Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem ac occidentalem partem novis creatis Episcopis submisit, quibus novas Sedes nempe Salisburgam, Frisingam et Ratisbonam assignavit.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-passaviensis se extendit, cum Moraviam et partem Pannoniae includeret, usque dum ad finem saeculi noni et initium decimi sub Episcopo Passaviensi Richardo Moravia proprios Episcopos obtinuit.

Tandem sub Episcopo nomine Christiano, qui ab anno 991 usque ad annum 1013 Ecclesiam Passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano I. Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatus fundati fuere, et anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen ut ad ultima usque tempora etiam Vicarius Generalis ab Episcopo Passaviensi constitutus, Viennae resideret; qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam et Lincium remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra Onasam, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia B. V. M. ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret. De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars quae vocatur silva Viennensis, cum Archiepiscopatu Viennensi unita fuit.

Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub Imperio Josephi II. Austriaci, Romani Imperatoris qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi et Principe Cardinali de Firmian omnes ditionis suae Ecclesias ab episcopalis Ecclesiae Auctoritate avulsit, atque Lincii civitate, in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit. Hoc autem tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passaviensis in Austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus et Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento retineret, donec Princeps Episcopus Comes de Auersperg, Cardinalis de Firmian Successor, petitionibus Imperatoris unacum Capitulo consentiens pro Dotatione novi Lincensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret.

Quamquam haec omnia florentem hanc antiquissimam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen divina sic sapientia disponente, ei servata fuerunt detrimenta.

Annus Saecularisationis 1802 evertit non tantum, quae a mundo pretio habentur; oblata, thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia et ornamenta direpta vel dispersa; sed etiam anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret, sed, quod maxime etiam ex manifestis rationibus plangendum, Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede tandem annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem in regno Bohemiae coemptam, secessit, ibi per annos 23 commoratus anno 1826, 22<sup>do</sup> Octobris obiit.

Huic successit in Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona, qui nominatus a Ludovico Rege Bavariae, confirmatus est a. p. m. Papa Leone XII in Consistorio sub IX. Aprilis 1827, consecratus 25. Aprilis ejusdem anni.

Defuncto Episcopo Carolo Josepho 25. Maji 1839 ego indignus et immeritus a Ludovico Bavariae Rege in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum nominatus, a Sanctitate sua p. m. beatissimo Papa Gregorio XVI in Consistorio sub 23. Decembris 1839 habito promotus et confirmatus atque 25. Februarii 1840 consecratus fui et 17. Martii ejusdem anni Ecclesiae Passaviensis regimen, spe divini auxilii fretus ingressus sum.

## *II. Confinia.*

Ad 2<sup>dum</sup>: Ecclesia Passaviensis post tot discrimina rerum tandem per Concordatum inter Sanctissimum Dominum p. m. Pium VII. Pont. Max. et Maximilianum Josephum, Regem Bavariae initum fixos obtinuit limites, firmioremque ut in Domino speramus, existentiam, nam omnipotens Deus, qui restituet eam et confirmabit.

Cum limites Dioeceseos in Bulla circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri” accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen juvabit Parochias Ainring, Anger, Fridorffing[!], Inzell, Kay, Laufen, Marzell, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, Salzburghofen, Surberg, Teisendorf, Tittmoning, Waging, et S. Zenonis, quae ad Archidioecesin Salisburgensem pertinebant, et in Bulla Circumscriptionis de dato 8. Sept. 1821 Dioecesi Passaviensi, quacum ne minime quidem contiguae [!] erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice Parochias Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Feichten cum Vicariatibus S. Crucis et Tyrlaching, Halsbach, Reitenhaslach, Veteroettinga, Alzgern, Burgkirchen ad sylvam, Kastl, Neo-oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reischach, Reit, Stammham, Unterneukirchen, Winhoering cum beneficiis Heiligenstadt, Tissling, Klebing, Markt, Taubenbach, Wald Dioecesi Passaviensi, utpote illi proxime adjacentes et contiguas [!] assignatas esse, quo facto circumscriptio Dioecesis Passaviensis a sacra apostolica Nuntiatura Monachii 8<sup>va</sup> Decembris 1822 modo definitivo facta et declarata fuit. Generatim autem sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe ad Orientem Dioecesium Linciensem in Austria; ad Meridiem Dioecesium Linciensem et Monaco-Frisingensem; ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem ac Ratisbonensem; ad Aquilonem Dioecesium Budvicensem in Bohemia.

### *III. Privilegia et Praerogativa Episcopatus.*

Ad 3<sup>tium</sup>: Episcopi Laureaco-Passavienses antiquis temporibus saepe archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab apostolica sede condecorati fuerunt. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos, erectis in Hungaria duobus Archiepiscopatibus abrepta fuisset. Hujus tituli loco ab Ottone III Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia.

Cum variae dissensiones inter Salisburgensem et Passaviensem Ecclesiam propter Praecedentiam exortae fuissent anno demum 1728 Ecclesia Passaviensis sub Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg a Summo Pontifice ut exempta, immediateque S. R. Sede subjecta declarata fuit; quod et inito novissimo Concordato, dum Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi Concordati autem nunc a Sede Metropolitana Monaco-Frisingensi dependet.

### *IV. Numerus Civitatum, oppidorum et locorum, qui Episcopatus subjecti sunt.*

Ad 4<sup>tum</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecesibus haec Dioecesis Passaviensis, et quidem ex rationibus supra allatis. Non numerat nisi 276,350 Catholicos.

Civitates easque non amplas, non nisi 7 numerat, nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Neuoetting, Landau, Osterhofen et Vilshofen. Caetera in Bulla Circumscriptionis latissime describuntur, atque quaedam sub N<sup>o</sup> 7<sup>mo</sup> hujus paragraphi enarrabuntur.

### *V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad 5<sup>tum</sup>: Ecclesia Cathedralis optime conservata Deo sacra est sub titulo S. Stephani Protomartyris. Aedificium, quamvis Sacrarium exterius referat architecturam Gothicam, interius est architecturae Romanae, et quidem pulcherrimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae in hoc stylo dici mereatur excellens, et Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum ut Concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum et Decanum, cum octo Canonicis et sex Vicariis, et recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo tres etiam sustentat Capellanos, qui Canonico, Ecclesiae Cathedralis parochi in animarum cura sunt adiutorio. Onera fundo Ecclesiae Cathedralis infixae accurate implentur. Fons baptismalis in Ecclesia

ipsa existit, asservantur etiam insignes Reliquiae praesertim S. Maximiliani Episcopi Laureacensis et Martyris; S. Valentini Episcopi Confessoris, qui Passavii ex mandato S. Leonis Papae verbum Dei praedicavit ad medium saeculi quinti; sed ab incolis partim ethnicis, partim Arianis, ad nostram confussionem [!] dictum sit, finibus eorum expulsus fuit; tandem S. Corbiniani Episcopi Confessoris, qui saeculo octavo pietate et indefessis apostolicis laboribus floruit. Adsunt necessaria etsi non numerosa nec tam splendida ut olim suppellectilia tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda. Chorus tria organa sat splendida habet et duo Campanilia cum campanis ornant Ecclesiam; Coemeterium autem extra suburbium ad dimidium horae spatium existit, muro munitum et clausum, juxta quod Ecclesia antiquissima S. Severino, hujus loci Apostolo celeberrimo dicata, conspicitur. Reditus fabricae quoad necessarium sufficiunt. Munera summi Custodis unus ex Canonicis gerit; pro officio autem Theologi et Poenitentiarum duo Canonici a me constituti sunt, quorum unusquisque habet peculiarem suam et sufficientem praebendam. Omnes Dignitarii et Canonici in regenda Dioecesi sunt mihi a Consiliis. Omnia in plena Consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui etiam Expeditiones ordinarias subscribit, ut unus e Canonicis Cancellariae Directoris munus gerit. Pro causis matrimonialibus consilium separatum sub nomine Consistorii constitui, cui canonicus ut officialis praeest, et duo e canonicis ut consiliarii cum voto decisivo assistunt.

#### *VI. Status Ecclesiarum collegiatarum.*

Ad VI<sup>tum</sup>: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioecesis limitibus non nisi duo extiterunt, nempe Vilshofii et Veteroettingae, quae anno praedicto omnino sublatae sunt.

#### *VII. Status et numerus Ecclesiarum parochialium nec non et aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum.*

Ad VII<sup>mum</sup>: Status animarum catholicam Religionem profitentium et ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad numerum ut supra numero 4<sup>to</sup> indicavi 276,350<sup>79</sup>.

Parochiae numerantur ..... 149

<sup>79</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1854, 134-139.



E[x]positurae seu Curatiae .....	36
Parochi .....	145
Expositi seu Curati .....	30
Beneficia stabilia .....	49
Beneficia cum paroecia seu Cooperatura vel Expositura aliqua unita .....	7
Beneficiati .....	56
Capellani seu Parochorum Cooperatores et Adjutores .....	215
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	16
Professores .....	9
Commorantes .....	5
Monachi in monasteriis neoerectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis, ex quibus tamen modo septem paroeciis praesunt .....	51
Presbyterorum Summa excepto Capituli gremio et Vicariis .....	530.

*VIII. Numerus Monasteriorum tam virorum quam mulierum.*

Ad VIII<sup>um</sup>: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum et mulierum Monasteriis et diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus ex iis perierunt:

Mendicantium monasteria et hospicia nempe Franciscanorum et Capucinatorum .....	7
Praelaturae, Canonicorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium et Cisterziensium .....	8
Monasteria Virginum .....	3
.....	18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis tres communitates Ordinis Capucinatorum, nempe Burghusii ad Salzam, Veteris-Oettingae et Neo-Öttingae, quarum fratribus et sacerdotibus non solum licet Eleemosinas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam eas apud fideles colligere.

Hi tres conventus numerant:

Sacerdotes .....	18
Clericos Novitios .....	10
Fratres laicos .....	16
.....	In summa 44.

Favente Deo Vetroettingae etiam domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris juxta regulam sancti Alphonsi a Liguorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur.

Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioecesis Passaviensis, sed **etiam** omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent.

Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus:

Patres professos .....	23
<b>Studentes clericos</b> .....	6
<b>Fratres laicos professos</b> .....	9
.....	In summa 38.

Hanc domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris Vetroettingae Ludovicus I. Bavariae Rex per decretum mense Februarii A. D. 1848 emissum ad consternationem fidelium quam maximam sine ulla causa sustulit. Ego autem omnibus viribus, quibus potui, executioni hujus decreti regii restiti, et adjuvante Deo, hunc finem adeptus sum, ut executio istius regii decreti sit suspensa. Firmiter spero, favente Deo, me opera mea et contentionibus meis eo esse perventurum, ut mandatum istius regii decreti nunquam peragatur, et status pristinus hujus domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Vetroettingae omnino illaesus in posterum reservetur.

Usque ad hanc horam patres hujus domus a regimine regio nullo modo impediuntur, in muneribus suis ab eo omnimodo agnoscuntur, redditus dotationis domus Congregationis sine diminutione accipiunt, noviciatum et studia propria habent, novitii et studentes libere admittuntur.

Tres conventus Capucinatorum Burghusii, Vetroettingae et Neo-oettingae et domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Vetroet[t]ingae quoad exercendam curam et cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum anglicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii et Vetroettingae, restitutis ipsis possessionibus, quibus prius fruebantur. Tertia hujusce modi communitas Passavii erecta et partim fundata est ab Antecessore meo Episcopo Carolo Josepho. Inserviunt hae Virgines instructioni et educationi puellarum cum maximo **religionis** fructu et subjacent Episcopo; quoad Oeconomica autem ipsae Virgines quidem eadem administrant, subsunt **vero** in his superinspectioni regiminis regii.

Morantur in conventu

a) Veteroettingae:

Virgines ..... 31

Sorores ..... 17

b) Burghusii:

Virgines ..... 24

Sorores ..... 9

c) Passavii:

Virgines ..... 22

Sorores ..... 7

..... In Summa 110.

**Duae** domus Virginum sub titulo „Sorores pauperes scholas puellarum curantium”  
Aidenbacii **et Regeni**<sup>80</sup> neo-erectae numerant Virgines professas .....6

..... In Summa 6.

#### *IX. An adsit in Dioecesi Seminarium clericorum?*

Ad IX<sup>num.</sup>: Adest Seminarium clericorum.

Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium clericorum tantummodo pro quindecim alumnis institutum inveni.

Sed cum talimodo legibus ecclesiasticis circa hanc rem et bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam, ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae disciplinae tollerentur.

Adjuvante Deo nunc post decem annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optime instructae sunt et **circa** trecentos alumnos commode suscipere possunt.

Anno currenti **250** alumni in his domibus versantur.

Secundum praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae juvenes, qui ad sacros ordines aspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur, et in disciplinis ecclesiasticis erudiuntur.

Extat igitur in praesenti Passavii Seminarium clericorum et Seminarium puerorum juxta praecepta Sacrosanctae Synodi Tridentinae sensu strictissimo.

<sup>80</sup> Siehe dazu: Schematismus Bistum Passau 1853, 162.

Sustentantur juvenes et pueri in hisce domibus recepti, partim ex dotatione fundata, partim ex mensa episcopali et ex eleemosynis, quas clerus et populus de precibus meis large subministrant.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad X<sup>mum</sup>: Quaelibet civitas habet hospitale, et etiam in oppidis inveniuntur. Eorum autem calculus et directio Magistratibus et Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni parochia existunt ac multum ad religionem promovendam pauperesque quandoque Ecclesias sustentandas conferunt. Earum redditus **vero**, qui maximopere ex oblationibus sodalium proveniunt, a communitate unacum parcho juxta Bavariae constitutionem administrantur.

*XI. An adsint montes Pietatis?*

Ad XI<sup>mum</sup>: Mons pietatis unice Passavii existit, isque Magistratui et gubernio subest, nec unquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

§ II.

*De secundo relationis capite ad me ipsum pertinente.*

*I. An residentiae praeceptum impleverim?*

Ad I<sup>mum</sup>: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

*II. An et quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad II<sup>dum</sup>: Primum Dioecesim generaliter visitavi, tunc visitationem canonicam et specialem institui, ita ut nunc omnes parochias et curatias cum ecclesiis et sacellis suis etiam minimis in tota Dioecesi stricte visitaverim.

In omnibus ecclesiis parochialibus et curatis in hac visitatione sanctissimum Missae sacrificium obtuli et verbum divinum ad erudiendum populum praedicavi.

Hanc visitationem specialem et canonicam omnino in tota Dioecesi absolvi in mense Augusti anni elapsi 1850.

**Tertiam visitationem Dioeceseos hoc anno currenti denuo instituum.**

*III. An per me vel alium Episcopum sacras Ordinationes expleverim et Confirmationis Sacramentum administraverim?*

Ad III<sup>tum</sup>: Ordinationes sacras semper per me ipsum explevi et Confirmationis Sacramentum diligentissime semper ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi erant, confirmati fuerint.

*IV. An et quoties Synodum coëgerim?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Synodum usque ad annum 1849 non coëgi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia **erat**, ut istae superari non possent. Juxta indultum tamen apostolicum testes Synodales constitui, qui in omnibus alicujus momenti objectis unacum Decanis ruralibus consuluntur, qua propter similia ista ponderantur ac si in coacta Synodo fuissent deliberata.

Anno 1849 autem, ut etiam in hac parte muneri episcopali satisfacerem, Synodum cogendam indixi. Jamque decreta de Synodo cogenda universo clero totius Dioeceseos insinuata erant, cum per Nuntiaturam Apostolicam literas a Sancta Sede ad Episcopos Bavariae directas acciperem, quae propter tempora nimis exagitata et nisi Synodis provincialibus praemissis Synodos non esse compellendas constituerent. Et revera hae literae Apostolicae bono Ecclesiae in Germania in hisce rerum circumstantiis optime consuluerunt, et magna detrimenta averterunt. Synodum indictam sine mora renuntiavi.

*V. An verbum Dei per me ipsum praedicaverim, an per alios viros idoneos?*

Ad V<sup>tum</sup>: Verbum Dei per me ipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluyente, quam in ecclesiis ruralibus occasione visitationum et administrationis sacrosancti Confirmationis sacramenti. In Ecclesia Cathedrali verbum divinum in omnibus diebus festis praedico.

*VI. An habeam Depositorium poenarum et mulctarum pecuniarium, et an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias indicare non licet, quare nihil de his dicendum.

*VII. Quaenam Taxa et an Innocentiana observetur?*

An [!] VII<sup>num</sup>: Observatur in cancellaria episcopali taxa moderatissima juxta antiquam observantiam. Ex antiqua conventionione cum Ducibus Bavariae inita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipitur, ita ut a Massa deductis expensis et legatis ac facultate paterna quinque ex centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii, et jurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis Ecclesiarum?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna, constitutionalis illa legislatio, insuper et protestantismus indifferentismusque, et hoc tempore spiritus malignus seductionis et subversionis, qui omne bonum perdere conatur.

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo aut pro clero?*

Ad IX<sup>num</sup>: Si a Superiori evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt quae Deo adjuvante complevi. Domus congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae cum sufficiente dotatione me curante instituta est.

Seminarium puerorum juxta praeceptum Sacrosanctae Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi, ita ut nunc circa 300 alumni in hoc Seminarium recipiantur.

Ecclesiam Cathedralem injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi.

Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato Stylo Romano magnificentissime exstruxi.

Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi et in ea viam crucis ex tabulis magnis et artificiose celatis erexi.

Alias duas capellas Ecclesiae Cathedralis contiguas [!] restitui.

Ecclesiam ad S. Salvatorem Passavii tempore Saecularisationis devastatam et venditam recuperavi et restorationi ejus mille florenos ex meis facultatibus impendi.

In domo episcopali ex meis facultatibus pulcherrimam capellam exstruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum sacrificium offero.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerceo.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

Magna et multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter et fideliter pugnavi, in utilitatem et honorem Ecclesiae ceciderunt.

Haec omnia in primo quadriennio episcopatus mei curavi.

Quae autem quadriennio primo elapso praedictis bonis operibus interea in secundo et tertio quadriennio accesserunt, sunt haec:

Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte prope Passavium sitam, frequentia fidelium celeberrimam, sed negligentia et vetustate deperditam magnificentissime restauravi, ita ut auro et ornamentis resplendeat.

Quindecim mysteria Sancti Rosarii Beatissimae Virginis Mariae in tabulis magnis arte sculptili repraesentata curavi, ita ut prope Ecclesiam praefatam singulum mysterium in singulari sacello sit dispositum.

Domus pro sacerdotibus saecularibus apud dictam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis in monte sita, quae usque adhuc tantum quatuor vel quinque sacerdotes recipere potuit, ita a me amplificata et adaptata est, ut nunc viginti presbyteri saeculares in illa versentur, qui vitam communem degentes divino cultui in ista Ecclesia inserviunt, et ingenti multitudini ad Ecclesiam Beatae Virginis Mariae Auxiliatricis peregrinantium verbum divinum praedicant et sacramenta Confessionis et Sanctissimae Eucharistiae administrant. **Horas canonicas communiter in choro celebrant.**

In eodem monte prope Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis singularem domum pro exercitiis spiritualibus institui, ita ut presbyteris hujus Dioeceseos occasio data sit, hac recreatione spirituali deinceps per totum annum fruendi.

Ibidem aliam domum constitui pro presbyteris propter delicta corrigendis.

Alteram domum in illo loco paravi, ubi presbyteri suspensi et cura animarum privati detineantur.

Ad augendam dotationem istarum domorum clericalium donationem eis feci in fundis, qui circa sex millia florenorum pretium habent.

Pro Seminario Alumnorum in civitate Passaviensi hortum latissimum comparavi.

Pro Seminariis a me fundatis hucusque summam quadraginta duorum millium florenorum ex facultatibus meis impendi.

Reliquias Sanctorum Ecclesiae Cathedralis tempore Saecularisationis dispersas et neglectas opere quam maximo collegi, et in vasis, ut optime tueantur, dignissime composui.

Sacerdotalia indumenta pro Ecclesia Cathedrali in ordinem optimum redegei, illa adauxi, et pro asservandis illis ceterisque ecclesiasticis ornamentis singulare et amplum aedificium adaptavi.

Pro bibliotheca Dioecesana bene & utiliter disponenda aedem amplitudine & commoditate excellentem acquisivi.

Numerosam et pretiosam collectionem picturarum, quae imagines Sanctorum repraesentant, ad capellam, quam in domo episcopali extruxi, dono dedi.

Ad exercitia spiritualia pro singulis presbyteris Dioeceseos singularem domum, ut supra dixi, constitui. Ut autem clerus totius Dioeceseos quot annis majori ex parte Passavii in Ecclesia Cathedrali me dirigente communiter exercitiis spiritualibus frui possit, omnia ad hunc finem circa suppellectilem habitationem etc. necessaria comparavi, et his sumptibus quatuor millia florenorum impendi.

Tempore autumnali anno 1849 primo haec exercitia spiritualia pro Clero totius Dioeceseos institui. Confluxit ad hunc finem magna frequentia Cleri ex tota Dioecesi, et fructus exercitiorum spiritualium erant magni et valde laetabundi.

Haec exercitia spiritualia pro Clero totius Dioeceseos communia nunc omni anno tempore autumnali a me habentur.

Anno 1850 pro stabili fundatione Seminarii puerorum secundum normam Consilii Tridentini a me instituti, ultra magnas erogationes, quas annis prioribus dedi, dotationem triginta millium florenorum ex meis facultatibus feci.

Quae autem ex eo tempore, quo anno elapso 1851 novissimam relationem feci, adjuvante Deo, bona opera curavi haec sunt:

Ecclesiam Cathedralem cum sacellis et altaribus suis et sacristia omnino splendide restauravi. In sacristia pro asservandis sacris et pretiosis vasibus ecclesiasticis duas concamerationes firmissimas construxi.

Pro officiis in Ecclesia Cathedrali praestandis optimum ordinem institui.

Mulierum ministeria, quae ad lotionem vel purgationem ecclesiae et pulsandas campanas aliasque similes res ex antiquis temporibus hic usitata erant, haud parvo certamine omnino abrogavi.

Haec ministeria nunc in Ecclesia Cathedrali a viris honestis rite et decenter praestantur, qui in Seminariis clericalibus vitam communem gerunt.



Ad ministerium altaris, chori, musicae et cantus, sacristiae etc. tantummodo pueri et juvenes ex Seminariis clericalibus adhibentur<sup>81</sup>.

A primo mane, hora quinta usque ad meridiem omni semihora secundum meam institutionem sanctissimum Missae sacrificium in Ecclesia Cathedrali honorificentissime celebratur.

Diebus dominicis et festis pro excipiendis confessionibus credentium certis horis continuo duodecim sacerdotes praesto sunt.

Pro diebus feriatis haud minus caute pro bono spirituali confitentium est provisum.

Diebus dominicis et festis verbum divinum primo mane, tunc serius hora quadam matutina, et tertio hora vespertina praedicatur.

Precibus et admonitionibus meis commoti Canonici et Clerici choro addicti nunc matutinum, laudes et horas minores in choro rite recitant. Ut autem officium divinum majori dignitate totum et omnino in Ecclesia Cathedrali persolvatur, institui, ut totum officium ab alumni Seminarii clericalis majoris, qui sacris ordinibus proximi vel in iis jam constituti sunt, recitetur, ita ut illi se jungant choro Canonicorum et choripresbyterorum et loco eorum etiam vesperas et completorium in choro persolvant.

Tali modo provisum est, ut totum officium divinum digne in choro recitetur et circa nonaginta vel centum clerici illi intersint.

Ad majorem Dei gloriam et animarum salutem foundationem etiam feci et acquisivi, ut nunc quotannis in Ecclesia Cathedrali tempore sancto majoris hebdomadis a Sabbatho ante Dominicam Palmarum usque ad vesperas feriae secundae post Resurrectionem D. N. J. Chr. a duodecim presbyteris regularibus, quorum sex Congregationis S. S. Redemptoris, sex autem Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Capucinorum sunt, missio publica et sollemnis, me et clero saeculari civitatis Passaviensis adjuvante, pro populo habeatur. Haec missio publica in civitate Passaviensi nunc jam annis 1851, 1852, 1853 cum maximo fructu animarum est habita<sup>82</sup>.

Simili modo institui, ut in regio Gymnasio et in regiis scholis latinis civitatis Passaviensis tempore Paschali exercitia spiritualia habeantur<sup>83</sup>.

---

<sup>81</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 100f.

<sup>82</sup> Näheres im jeweiligen Schematismus des Bistums Passau.

<sup>83</sup> Vgl. dazu: Schematismus Bistum Passau 1854, 165.

Pro tota autem Dioecesi institutionem feci, ut quotannis circa in viginti quinque parochiis specialiter a me designatis a patribus ordinis S. S. Redemptoris, qui Vetroettingae domum habent, missiones solemnes pro populo celebrentur<sup>84</sup>.

Seminaria clericalia a me condita et adaucta eo pervenerunt, ut omnes candidati status clericalis nunc in hisce seminariis a teneris annis usque ad susceptum ordinem sacerdotalem aluntur et instruuntur. Penuria sacerdotum, quae erat maxima, anno elapso 1852 omnino cessavit, cum per Seminaria clericalia alendis et instruendis candidatis status clericalis sufficientissime sit provisum.

Ad amplificanda Seminaria clericalia et pro rebus eorum oeconomicis suscipiendis domum quam maximam, prope Ecclesiam Cathedralem sitam, pro summa circa viginti millium florenorum /: jam soluta :/ acquisivi<sup>85</sup>.

Quum dilectus meus pater anno elapso e vita decessisset, cum matre mea testamentum judiciale feci, in quo Seminarium puerorum haeredem universalem patrimonii nostri, haud exiqui, instituimus<sup>86</sup>.

Mea cura & provisione in Dioecesi Passaviensi nunc eo perventum est, ut omni parocho emerito pro annua sustentatione circa sexcenti floreni, aliis autem presbyteris emeritis circa quadringenti floreni, aegrotantibus et egenis sacerdotibus autem, in momentaneis angustiis versantibus sufficiens stips exhiberi possit.

Curiam episcopalem et omnem ejus supellectilem funditus et sple[n]dide restauravi et sacris imaginibus exornavi, ita ut dignam et clericalem praebeat speciem.

Pro aerario curiae adservando concamerationem firmissimam extruxi.

Omnes, qui curiae episcopali pro scripturis aliisque cancellariae ministeriis inserviunt, presbyteri sunt, qui optimis moribus excellunt, vitam communem in Seminariis clericalibus degunt, et vestimento talari utuntur, choro in Ecclesia Cathedrali quotidie intersunt, et in illa curam in sacris officiis praestandis diebus dominicis et festis diligentissime exercent.

### § III.

*De tertio relationis Capite ad Clerum saecularem pertinente.*

<sup>84</sup> Siehe dazu: Klemens Jockwig, Die Volksmission der Redemptoristen in Bayern von 1843 bis 1873. Dargestellt am Erzbistum München und Freising und an den Bistümern Passau und Regensburg. Ein Beitrag zur Pastoralgeschichte des 19. Jahrhunderts, in: Beiträge zur Geschichte des Bistums Regensburg 1 (1967) 41-408, hier: 205-249.

<sup>85</sup> Ehemaliger „Fuggerhof“. Die Bischöflichen Seminarien (wie Anm. 59) 41f; Zacher (wie Anm. 1) 91.

<sup>86</sup> Vgl. dazu: Zacher (wie Anm. 1) 564f.

*I. An Canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecc[lesi]e choro jugiter intersint?*

Ad I<sup>mum</sup>: Omnes choro, nisi infirmitate et aetate impediti, intersunt diligenter.

*II. An ultra matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrant Missam conventualem, eamque applicent pro Benefactoribus?*

Ad II<sup>dum</sup>: **Cum regimen Ecclesiae Passaviensis susciperem, res ita se habuit, ut in choro tantummodo horae minores cum vesperis et completorio recitarentur. Matutinum et laudes vero quisque privatim recitabat. Nunc autem precibus et admonitionibus meis canonici et presbyteri choro addicti matutinum, laudes et horas minores in choro rite recitant, vespervas autem cum completorio privatim persolvunt, et de hac omissione pro adipiscenda dispensatione in proximo suam specialem petitionem exhibebunt.** Missa conventualis a Canonicis et Dignitariis quotidie applicatur.

*III. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent?*

Ad III<sup>tium</sup>: **Capitulum Ecclesiae Cathedralis nunc in eo est, ut Constitutiones sibi componat.**

*IV. An qui obtinent praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Canonici obtinentes praebendam Poenitentiarum et Theologalem accurate et plene munera sua implent.

*V. An Parochi in suis Parochiis resideant?*

Ad V<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident, nec ulli licet sine nostra licentia per plures dies abesse, pro quo casu iste, data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet, eumque nobis designare.

*VI. An librum Matrimoniorum et Baptizatorum aliosque libros, quos ad Normam Ritualis Romani retinere debent, retineant?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis casu ab heredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Major parochorum pars, plebis propter numerum vel parochiae ambitum uno cooperatore, alii etiam pluribus indigent, alii propter infirmitatem vel senium cooperantis adjutorio utuntur.

*VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipsi incitentur, sed Decani etiam sollicite desuper invigilare teneantur. Adjutores autem & juniores sacerdotes ad finem anni & catecheses & conciones diligenter elaboratas scripto ad Consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi stricte censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem dominicis & aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad IX<sup>num</sup>: Parochi vel, iis legitime impeditis, eorum capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scholis publicis tam pueros quam puellas in Religionis scientia instruere et examinare, et insuper etiam in scholis festivis, quas pueri et puellae a 12<sup>mo</sup> aetatis anno usque ad 18<sup>vum</sup> annum frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita ut ex hac parte doctrina christiana frequentius tractatur, quam alias solitum fuerat.

Injunctum est praeterea parochis, ut in diebus dominicis loco homiliarum vel concionum catechetica instructionem secundum ordinem Catechismi Romani tradant & prosequantur; ita ut quoque adulti in cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur: hanc instructionem autem modo adultis magis conveniente, id est ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore quadragesimae a Parochis specialiter innupti et innuptae super sacramenta Confessionis et Eucharistiae, super necessarios fidei articulos, super officia cujusque status etc. separatis hebdomadis diebus diligentissime in quaque Parochia instruuntur ac examinantur. Quod ut diligentius, secundum cujusvis indigentiam, praestari possit, statutis diebus, eisque non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli Parochi ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad X<sup>mum</sup>: Omnes Parochi juxta Praescriptum applicant exceptis tamen iis Cooperatoribus, qui sacra facere debent in Ecclesia filiali, cum Parochus pro tota Parochia applicet.

*XI. An et quae praemittantur antequam quis ad Tonsuram et ordines minores admittatur, et an sacris Ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad XI<sup>mum</sup>: Ad primam Tonsuram vel minores Ordines admittendi afferre debent testimonium baptismatis ac confirmationis unacum studiorum testimoniis atque etiam morum testimonium a proprio parochi; dein sicut et ceteris ordinibus initiandi subire debent examen rigorosum, vel in pleno consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinadoribus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia Ordinationi in hujus loci seminario praemittuntur.

*XII. An omnes praefati vestes clericales deferant?*

Ad XII<sup>mum</sup>: Habitus clericalis et decens unacum tonsura clericis & Presbyteris dignis cunctis stricte inculcatur et etiam defertur, perpauca tantum aliquo modo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu Casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad XIII<sup>tium</sup>: Hae Conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt. Existimo magnam distantiam Parochiarum a sede Decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod Neo-Ordinati Presbyteri curaeque animarum exponendi pro cura nonnisi ad annum adprobentur, et antequam id elabatur, novum Examen apud constitutum Examinatorem subire coguntur, aliquae quaestiones, etiam scriptae, sunt solvendae, quae unacum Examinatoris iudicio ad nos mitti debent. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio secunda vice nonnisi ad biennium datur adprobatio, quo elapso examen iterare eodem modo coguntur; dein post triennium et tandem post quinquennium, ultra quod nullus adprobari solet, nisi

sit probatae scientiae et stabili beneficio provisos. Ita fit, ut quisque studia diligenter persequi cogatur, quae autem de hac re sacra congregatio re[s]cripsit, **simulac possibile erit**, exsequi studebo.

*XIV. Quinam sint mores Cleri saecularis, et an aliquot in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad XIV<sup>um</sup>: Longe major pars Cleri confirmat opere quod praedicat. Quum tamen post saecularisationem per 23 et ultra annos nec seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, non est mirandum, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast, Deo adjuvante, mundabitur area, aliis paterna correctione, aliis severiori disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia praesertim vero institutione aptissima in Seminario episcopali recepta, a lapsu cohibitis.

§ IV.

*De quarto relationis Capite ad Clerum regularem pertinente.*

Omnia Monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere, quae hic de iis referri possent jam supra § I de Ecclesia statu quo est 8<sup>vo</sup> fuerunt memorata.

§ V.

*De quinto relationis Capite ad Moniales pertinente.*

Parimodo Monialium claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabilia supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata. Ceterum in tribus Monasteriis Virginum Anglicarum **et in duobus Monasteriis Sororum pauperum scolas puellarum curantium** statuta rite servantur, et clausura simul in quantum ab hujus ordinis regulis praescribitur. Confessarius ordinarius earum necnon extraordinarius a me assignatus est. Visitavi jam saepius nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo majora quotidie capit incrementa.

§ VI.

*De sexto relationis Capite ad Seminarium spectante.*

*I. Quot sint in Seminario Alumni?*

Ad I<sup>mum</sup>: In Seminario Clericorum circa 67, in Seminario puerorum 187 Alumni aluntur.

*II. An ecclesiastica disciplina recte instituat?*

Ad II<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos Seminarii antistites et rectores.

*III. Quibus studiis vacent?*

Ad III<sup>tium</sup>: Repetuntur imprimis omnes principaliores theologiae partes, quas alumni in publico Lyceo audierunt, ita ut vel neglecta suppleantur, vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Lyturgiae et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

*IV. An Cathedrali et aliis locis Ecclesiae diebus festis inserviunt?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Omnibus diebus alumni majoris Seminarii chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

*V. An cum consilio duorum canonicorum Seniorum a me electorum, necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad V<sup>tum</sup>: Statui cum consilio totius Capituli Ecclesiae Cathedralis.

*VI. An illud aliquando visitem, et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones Seminarii clericorum et puerorum strictissime observentur.

*VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in ejus solutione?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Taxa tantum in veteri Dioeceseos parte stabilita fuerat; in ea autem parte, quae olim archiepiscopatus Salisburgensi suberat, atque ad archiepiscopatum Monacensem transierat, tandemque nobis incorporata fuit, nulla pro Seminario taxa nec stabilita nec soluta fuerat. Concurrunt autem nunc donis gratuitis ad id evocati, ceteri etiam stabilitam taxam exacte solvunt.

§ VII.

*De septimo relationis Capite ad Ecclesias, confraternitates et pia loca pertinente.*

*I. An in sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et Anniversariorum?*

Ad I<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabella[e] **vel in sacristiis vel in archivo parochiali.**

*II. An in confraternitatibus, scolis, aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera, a testatoribus injuncta?*

Ad II<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si sint anniversaria, episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera exacte implere parochis gravissime injungitur, nec ab ulla confraternitate vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi foundationis valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationes ab horum locorum administrationibus?*

Ad III<sup>tium</sup>: Ut supradictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta patriae leges soli brachio saeculari et Magistratibus incumbit.

*IV. An Montem pietatis etc.?*

*V. An infirmorum hospitalia visitaverim et redituum rationis exegerim etc.?*

Ad IV<sup>tum</sup> et V<sup>tum</sup>: Ut dictum, in redituum et administrationis ratione istae Communitates et montes pietatis magistratibus solis subjecta[e] sunt.

§ VIII.

*De octavo relationis Capite ad populum pertinente?*

*I. Quinam sunt populi mores et an pietate proficiat?*

Ad I<sup>mum</sup>: Negari non potest, populi mores vel legum indulgentia vel maxime bellorum praeteritorum exemplis pravis et hoc tempore spiritu seditiois et subversionis maxime in civitatibus in multis fuisse corruptos. Ast populus maxime antiquae Patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret: et si Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarum digni, pietate, scientia praediti sacerdotes instituantur, sperari potest, Deo auxiliante, meliorem morum statum **revocandum fore.** De cetero omne



studium et operam in his et aliis omnibus, quae ad officium **meum** spectant, impendere non omitam, atque Deo auxiliante confisus, nisi omnia religionis et societatis vincula dirumpantur, spero castigatioris mores restabiliendos fore.

Imprimis clerus et populus hujus Dioeceseos ultimis elapsis annis, in quibus in Germania ubique seditiones et tumultus adversus auctoritatem publicam erumpebant, omni laude dignissimum se exhibuit. Nam clerus morum probitate et gravitate, obedientia et reverentia erga ecclesiasticas leges et auctoritatem ecclesiasticam excellens ab omnibus insidiis et perturbationibus adversus civilem et ecclesiasticam auctoritatem tunc comparatis ita omnino abstinuit, ut nec unus ex ordine clericorum hujus Dioeceseos ob talem causam puniendus vel corrigendus existeret.

Populus autem non minus ita pie et honeste se gessit, ut nec secta detestabilis Rongeanorum apud illum aditum aliquem sibi patefacere, nec ullus conventus politice democraticus ne in uno quidem loco se constituere possit. Quinimmo tunc temporis sicut et nunc populus Dioeceseos pro piis operibus et splendore ecclesiarum magna et multa munera obtulit et Seminario puerorum, quod adjuvante Deo suscepto Dioeceseos regimine institui, ita largiter donis et oblationibus subvenit, ut anno currente **circa** trecentos pueros et juvenes in Seminario alere et educare possim.

Civitas autem Passaviensis, in qua sedes Episcopalis est, ita tranquillitatem, ordinem, reverentiam et obedientiam erga publicas auctoritates tam civiles quam ecclesiasticas conservavit, ut nec minima vel die vel nocte in illa perturbatio erumperet et quantum scio, haec paene unica major civitas in Germania est, quae nullis turbis politicis obstringebatur.

Quare Rex noster Maximilianus II, cum hanc partem Regni sui visitaret, ob hunc rerum statum valde laetatus mihi ipsi dixit: „Se nunc expertum habere, catholicam religionem certissimum esse pignus fidei subditorum erga personam suam Regiam. Si unquam res male evenirent, Passavii residere sibi proposuisse et illo tempore, cum ubique magnae perturbationes exorirentur, jam in eo fuisse, ut propositum hoc perageret.”

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae consilio et adiutorio Sedis Apostolicae indigeat?*

Ad II<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo custodiente Deo in hac Ecclesia sese Dioecesi irrepserit.

§ IX.

*De ultimo relationis Capite ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennialium et **quinnalium** praesertim mihi benignissime impertiri est dignatus, ut ad regendam confisam Dioecesi sufficientes mihi videantur.

Quapropter importunum judico, Sanctissimum Patrem pro ampliandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

**Quoniam autem Ecclesiae navis novis identidem procellis impetitur, si quae novae facultates ad regimen Ecclesiae requirentur, humillimas preces pro rerum circumstantiis adhibebo, atque de Summi Pontificis innata clementia confido.**

Ceterum spero, Dei Spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et Sacri Concilii interpretibus, ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacras pedes reverendissime exosculor, meam erga Ecclesiam romano-catholicam obedientiam et fidem Summi Dei adjutorio confisus, iterate promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo, ac me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii interpretum

Passavii die 14. Jul. 1853

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

## 1857

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes, ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita. A. D. 1857.

## § I.

*De primo Relationis Capite.*

*De statu Ecclesiae Passaviensis materiali.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a saeculo octavo i. e. anno 737, cum devastata ab Hunnis civitate Laureacensi, quae erat sedes episcopalis, Episcopus Vivilo vel Wulfilo nomine unacum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum duce Odilone liberalissime exceptus fuisset. Extenderant se fines Dioeceseos Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua ad ipsam quoque pertinebat, usque in Pannoniam et Moraviam, quarum regionum populi usque ad adventum S. Bonifacii quoad pastorale munus tunc temporis a Sede Passaviensi dependebant. S. Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem ac occidentalem partem novis creatis Episcopis submitit, quibus novas Sedes, nempe Salisburgum, Frisingam et Ratisbonam, assignavit.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-Passaviensis se extendit, cum Moraviam et partem Pannoniae includeret, usque dum ad finem saeculi noni et initium decimi sub Episcopo Passaviensi Richardo Moravia proprios Episcopos obtinuit.

Tandem sub Episcopo nomine Christiano, qui ab anno 991 usque ad annum 1013 Ecclesiam Passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano I Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatus fundati fuere, et anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen, ut ad ultima tempora etiam Vicarius Generalis ab Episcopo Passaviensi constitutus Viennae resideret, qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam et Lincium remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra **Anasum**, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia B. V. M. ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret. De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars, quae vocatur silva Viennensis, cum Archiepiscopatu Viennensi unita fuit.

Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub imperio Josephi II Austriaci, Romani Imperatoris, qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi et Principe Cardinali de Firmian omnes ditionis suae ecclesias ab episcopalis Ecclesiae auctoritate avulsit, atque Lincii, civitate in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit.

Hoc autem tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passaviensis in Austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus et Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento retineret, donec Princeps Episcopus Comes de Auersperg, Cardinalis de Firmian successor, petitionibus Imperatoris unacum Capitulo consentiens pro Dotatione novi Linciensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret.

Quamquam haec omnia florentem hanc antiquissimam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen, divina sic sapientia disponente, ei reservata fuerunt detrimenta.

Annus Saecularisationis 1802 evertit non tantum, quae a mundo pretio habentur (**ablatis** thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia et ornamenta direpta vel dispersa); sed etiam anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret, sed quod maxime etiam ex manifestis rationibus plangendum, Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede tandem annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem in regno Bohemiae coemptam secessit, ibi per annos 23 commoratus anno 1826 22<sup>do</sup> Octobris obiit.

Huic successit in Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona, qui nominatus a Ludovico Rege Bavariae, confirmatus a p. m. Papa Leone XII. in Consistorio sub IX Aprilis 1827, consecratus 25 Aprilis ejusdem anni.

Defuncto Episcopo Carolo Josepho 25 Maji 1839 ego indignus et immeritus a Ludovico Rege Bavariae in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum nominatus, a Sanctitate Sua p. m. beatissimo Papa Gregorio XVI in Consistorio sub 23 Decembris 1839 habito promotus et confirmatus atque 25 Februarii 1840 consecratus fui, et 17 Martii ejusdem anni Ecclesiae Passaviensis regimen, spe divini auxilii fretus, ingressus sum.

## *II. Confinia.*

Ad II<sup>dum</sup>: Ecclesia Passaviensis post tot discrimina rerum tandem per Concordatum inter Sanctissimum Dominum p. m. Pium VII. Pont. Max. et Maximilianum Josephum, Regem Bavariae, initum fixos obtinuit limites firmioremque, ut in Domino speramus, existentiam; nam omnipotens Deus, qui restituit eam, et confirmabit.

Cum limites Dioeceseos in Bulla Circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri” accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen juvabit, parochias Ainring, Anger, Fridorffing, Inzell, Kay, Laufen, Marzell, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, Salzburghofen, Surberg, Teisendorf, Tittmoning, Waging et S. Zenonis, quae ad Archidioecesis Salisburgensem pertinebant, et in Bulla Circumscriptionis de dato 8 Septembris 1821 Dioecesi Passaviensi, quacum ne minime quidem contiguae erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice parochias Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Burgkirchen ad silvam, Feichten cum Vicariatibus S. Crucis et Tyrlaching, Halsbach, Reutenhaslach, Veteroettinga, Alzgern, Kastl, Neo-Oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reischach, Reit, Stamham, Unterneukirchen, Winhoering cum Beneficiis Heiligenstadt, Tissing, Klebing, Markt, Taubenbach, Wald Dioecesi Passaviensi, utpote illi proxime adjacentes et contiguas assignatas esse, quo facto circumscriptio Dioecesis Passaviensis a sacra Apostolica Nuntiatura Monachii 8 Decembris 1822 modo definitivo facta et declarata fuit.

Generatim autem sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe ad Orientem Dioecesis Linciensem in Austria; ad Meridiem Dioecesis Linciensem et Monaco-Frisingensem; ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem ac Ratisbonensem; ad Aquilonem Dioecesis Budvicensem in Bohemia.

### *III. Privilegia et Praerogativa Episcopatus.*

Ad III<sup>tium</sup>. Episcopi Laureaco-Passavienses antiquis temporibus saepe Archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab Apostolica Sede condecorati fuerunt. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos, erectis in Hungaria duobus Archiepiscopatibus abrepta fuisset. Hujus tituli loco ab Ottone III Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia.

Cum variae dissensiones inter Salisburgensem et Passaviensem Ecclesiam propter praecedentiam exortae fuissent, anno demum 1728 Ecclesia Passaviensis sub

Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg a Summo Pontifice ut exempta immediateque S. R. Sedi subjecta declarata fuit, quod et inito novissimo Concordato, dum Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi Concordati autem nunc a Sede Metropolitana Monaco-Frisingensi dependet.

*IV. Numerus civitatum, oppidorum et locorum, qui Episcopatu subjecta sunt.*

Ad IV<sup>tum</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecesibus haec Dioecesis Passaviensis, et quidem ex rationibus super allatis. Non numerat nisi **280,380** Catholicos; civitates easque non amplas, non nisi 7 numerat, nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Landau, Neuötting, Osterhofen et Vilshofen. Caetera in Bulla Circumscriptionis latissime describuntur, atque quaedam sub Num. 7 hujus paragraphi enarrabuntur.

*V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad V<sup>tum</sup>: Ecclesia Cathedralis optime conservata Deo sacra est sub titulo S. Stephani Protomartyris. Aedificium, quamvis Sacrarium exterius referat architecturam Gothicam, interius est architecturae Romanae, et quidem pulcherrimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae in hoc stylo dici mereatur excellens, et Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum, ut Concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum et Decanum cum octo Canonicis et sex Vicariis, et recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo tres etiam sustentat Capellanos, qui Canonico Ecclesiae Cathedralis parocho in animarum cura sunt adjutorio. Onera fundo Ecclesiae Cathedralis infixae accurate implentur. Fons baptismalis in Ecclesia ipsa existit; asservantur etiam insignes Reliquiae, praesertim S. Maximiliani Episcopi Laureacensis et Martyris, S. Valentini Episcopi Confessoris, qui Passavii ex mandato S. Leonis Papae verbum Dei praedicat ad medium saeculi quinti, sed ab incolis partim ethnicis partim Arianis, ad nostram confusionem dictum sit, finibus eorum expulsus fuit; tandem S. Corbiniani Episcopi Confessoris, qui saeculo octavo pietate et indefessis apostolicis laboribus floruit.

Adsunt necessaria etsi non numerosa, nec tam splendida ut olim suppellectilia, tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda. Chorus tria organa sat splendida habet, et duo Campanilia cum campanis ornant Ecclesiam. Coemeterium autem extra suburbium ad dimidium horae spatium existit, muro munitum et clausum, juxta quod ecclesia antiquissima S. Severino, hujus loci Apostolo celeberrimo, dicata

conspicitur. Reditus fabricae quoad necessarium sufficiunt. Munera summi Custodis unus ex Canonicis gerit; pro officio autem Theologi et Poenitentiarum duo Canonici a me constituti sunt, quorum unusquisque habet peculiarem suam et sufficientem praebendam. Omnes Dignitarii et Canonici in regenda Dioecesi sunt mihi a consiliis. Omnia in plena consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui et Expeditiones ordinarias subscribit, **et** unus ex Canonicis Cancellariae Directoris munus gerit. Pro causis matrimonialibus consilium separatum sub nomine Consistorii constitui, cui Canonicus ut officialis praeest, et duo ex Canonicis ut Consiliarii cum voto decisivo assistunt.

#### *VI. Status Ecclesiarum collegiatarum.*

Ad VI<sup>um</sup>: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioeceseos limitibus nonnisi duae exstiterunt, nempe Vilshofii et Veroettingae, quae anno praedicto omnino sublatae sunt.

#### *VII. Status et numerus Ecclesiarum parochialium nec non et aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum.*

Ad VII<sup>um</sup>: Status animarum catholicam Religionem profitentium et ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad numerum ut supra numero IV<sup>to</sup> indicavi<sup>87</sup>.

Parochiae numerantur .....	149
Expositurae seu Curatae .....	<b>37</b>
Parochi .....	<b>144</b>
Expositi seu Curati .....	<b>31</b>
Beneficia stabilia .....	49
Beneficia cum paroecia seu Cooperatura vel Expositura aliqua unita .....	7
Beneficiati .....	<b>53</b>
Capellani seu Parochorum Cooperatores et Coadjutores .....	<b>232</b>
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	<b>18</b>
Professores .....	<b>13</b>
Commorantes .....	<b>3</b>

<sup>87</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1858, 146-151.

Monachi in monasteriis neoerectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis, ex quibus tamen modo tres paroeciis praesunt ..... 55  
 Presbyterorum Summa, excepto Capituli gremio et Vicariis ..... 549.

*VIII. Numerus Monasteriorum tum virorum quam mulierum.*

Ad VIII<sup>mum</sup>: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum et mulierum Monasteriis et diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus ex iis perierunt:

Mendicantium monasteria et hospitia, nempe Franciscanorum et Capucinorum, ..... 7  
 Praelaturae Canoniorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium et Cisterciensium ..... 8  
 Monasteria Virinum ..... 3  
 ..... 18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis tres Communitates Ordinis Capucinorum, nempe Burghusii ad Salzam, Veteroettingae et Neo-Oettingae, quarum fratribus et Sacerdotibus non solum licet eleemosynas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam eas apud fideles colligere.

Hi tres Conventus numerant:

Sacerdotes ..... 21  
 Clericos Novitios ..... 5  
 Fratres laicos ..... 16  
 ..... In Summa 42.

Favente Deo Veteroettingae etiam domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris juxta regulam S. Alphonsi a Ligorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur. Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioecesis Passaviensis, sed etiam omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent.

Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus:

Patres professos ..... 29  
 Studentes clericos ..... 12  
 Fratres laicos professos ..... 8  
 ..... In Summa 49.

Hanc domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae Ludovicus I. Rex Bavariae per decretum mense Februarii A. D. 1848 emissum ad consternationem fidelium quam maximam sine ulla causa sustulit. Ego autem



omnibus viribus, quibus potui, executioni hujus decreti regii restiti, et adjuvante Deo hunc finem adeptus sum, ut executio istius regii decreti sit **omnino** suspensa. Firmiter spero, favente Deo, me opera mea, **prudencia mea** et contentionibus meis eo esse perventurum, ut mandatum istius regii decreti nunquam peragatur, et status pristinus hujus domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae omnino illaesus in posterum reservetur.

Usque ad hanc horam patres hujus domus a regimine regio nullo modo impediuntur, in muneribus suis ab eo omnimodo agnoscuntur, redditus **amplissimae** dotationis domus Congregationis sine diminutione accipiunt, novitiatum et studia propria habent, novitii et studentes libere admittuntur.

Tres conventus Capucinatorum Burghusii, Veteroettingae et Neo-Oettingae, et domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae quoad exercendam curam et cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum anglicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii et Veteroettingae, restitutis ipsis possessionibus, quibus prius fruebantur. Tertia hujusmodi communitas Passavii erecta et partim fundata est ab antecessore meo Episcopo Carolo Josepho. **Aliae hujuscemodi communitates mea opera institutae sunt in parochia ad Sanctum Severinum et in parochia ad Sanctum Bartholomaeum Passavii, et in civitate Neo-Oettingae<sup>88</sup>. Brevi tempore etiam in parochiis Pfarrkirchen, Hartkirchen et Aigen similes communitates mea cura et opera erigentur.**

Inserviunt hae Virgines instructioni et educationi puellarum cum maximo religionis fructu et subjacent Episcopo; quoad Oeconomica autem ipsae Virgines quidem eadem administrant, subsunt vero in his superinspectioni regiminis regii.

Morantur in hisce conventibus:

1. Veteroettingae:

Virgines ..... 32  
Sorores ..... 21

2. Burghusii:

Virgines ..... 28  
Sorores ..... 13

3. Passavii:

<sup>88</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 93f. – Vgl. auch Schematismus Bistum Passau 1859, 194-197.

a) in parochia Ecclesiae Cathedralis ad S. Stephanum:

Virgines ..... 25  
Sorores ..... 10

b) in parochia ad S. Severinum:

Virgines ..... 2  
Soror ..... 1

c) in parochia ad S. Bartholomaeum:

Virgines ..... 2  
Soror ..... 1

4. Neo-Oettingae:

Virgines ..... 8  
Sorores ..... 3

..... In Summa: 146.

Duae domus Virginum sub titulo „Sorores pauperes scholas puellarum curantes” Aidenbacii et Regeni neoerectae numerant Virgines professas ..... 7

..... In Summa 7.

Per multos annos laborante me et operam quam maximam dante tandem in civitate Passaviensi pro cura in hospitio publico versantium aegrotorum etiam institutus est conventus ex Congregatione Virginum Sororum Misericordiae secundum regulam Sancti Vincentii de Paula, qui numerat Sorores 7<sup>89</sup>.

*IX. An adsit in Dioecesi Seminarium clericorum?*

Ad IX<sup>num</sup>: Adest Seminarium clericorum.

Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium clericorum tantummodo pro quindecim alumnis institutum inveni. Sed cum talimodo legibus ecclesiasticis circa hanc rem et bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam, ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae disciplinae tollerentur. Adjuvante Deo nunc post **septemdecim** annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optime instructae sunt, et circa trecentos alumnos commode suscipere possunt. Anno currenti **258** alumni in his domibus versantur.

<sup>89</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 92f. – Vgl. auch Schematismus Bistum Passau 1857, 181f.

Secundum praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae juvenes, qui ad sacros ordines aspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur, et in disciplinis ecclesiasticis erudiuntur.

Exstat igitur in praesenti Passavii Seminarium clericorum puerorum juxta praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae sensu strictissimo.

Sustentantur juvenes et pueri in hisce domibus recepti partim ex dotatione **jam prius** fundata, partim **per dotationem firmam** ex mensa **mea** episcopali subministrandam, **partim ex collectis secundum normam sacrosanctae Synodi Tridentinae a Clero praestandis**, partim ex eleemosynis, quas populus fidelis de precibus meis largitur.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad **X<sup>mum</sup>**: Quaelibet civitas habet Hospitale, etiamque in oppidis inveniuntur. Eorum **vero** calculus et directio Magistratibus et Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni parochia existunt ac multum ad religionem promovendam pauperesque quandoque ecclesias sustentandas conferunt; earum redditus **autem**, qui maximopere ex oblationibus sodalium proveniunt, a communitate unacum parrocho juxta Bavariae Constitutionem administrantur.

**In omnibus paene parochiis totius Dioeceseos me instante a parochis sodalitates piae virginum et juvenum ad conservandos bonos mores institutae sunt.**

**Passavii associationem piam operariorum ad vitam honeste moderandam erexi, cui praecipue mea largitione subvenitur<sup>90</sup>.**

XI. An adsint montes pietatis?

Ad **XI<sup>mum</sup>**: Mons pietatis unice Passavii existit, isque magistratui et gubernio subest, nec unquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

§ II.

*De secundo relationis capite ad me ipsum pertinente.*

*I. An residentiae praeceptum impleverim?*

Ad **I<sup>mum</sup>**: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

<sup>90</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 42; Hauptmann (wie Anm. 1) 100; Zacher (wie Anm. 1) 471-473.

*II. An et quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad II<sup>dum</sup>: Primum Dioecesim generaliter vistavi; tunc visitationem canonicam et specialem institui, ita ut nunc omnes parochias et curatias cum ecclesiis et sacellis suis etiam minimis in tota Dioecesi stricte visitaverim.

In omnibus ecclesiis parochialibus et curatis in hac visitatione sanctissimum Missae sacrificium obtuli et verbum divinum ad erudiendum populum praedicavi.

Hanc visitationem specialem et canonicam omnino in tota Dioecesi absolvi in mense Augusti anni elapsi 1850.

Tertiam visitationem Dioeceseos **anno 1853 institui et annis sequentibus prosecutus sum.**

*III. An per me vel alium Episcopum sacras Ordinationes expleverim et Confirmationis Sacramentum administraverim?*

Ad III<sup>tium</sup>: Ordinationes sacras semper per me ipsum explevi, et Confirmationis Sacramentum diligentissime semper ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi erant, confirmati fuerint.

*IV. An et quoties Synodum coëgerim?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Synodum usque ad annum 1849 non coëgi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia erat, ut istae superari non possent. **In administranda Dioecesi autem Capitulum Ecclesiae Cathedralis mihi omnino a consiliis servit.** Anno 1849 **vero**, ut etiam in hac parte muneri episcopali satisfacerem, Synodum cogendam indixi. Jamque decreta de Synodo cogenda universo clero totius Dioeceseos insinuata erant, cum per Nuntiaturam Apostolicam literas a Sancta Sede ad Episcopos Bavariae directas acciperem, quae **per** tempora nimis exagitata et nisi Synodis provincialibus praemissis Synodos non esse compellendas constituerent. Et revera hae literae Apostolicae bono Ecclesiae in Germania in hisce rerum circumstantiis optime consuluerunt, et magna detrimenta averterunt. Synodum indictam sine mora renuntiavi.

*V. An verbum Dei per me ipsum praedicaverim, an per alios idoneos viros?*

Ad V<sup>tum</sup>: Verbum Dei per me ipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluente, quam in ecclesiis ruralibus occasione

visitationum et administrationis sancti Confirmationis Sacramenti. In Ecclesia Cathedrali verbum divinum in omnibus diebus festis praedico.

*VI. An habeam Depositorium poenarum et mulctarum pecuniarium, et an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias **sensu stricto** indicare non licet, quare nihil de his dicendum.

*VII. Quenam Taxa et an Innocentiana observetur?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Observatur in Cancellaria episcopali taxa moderatissima juxta antiquam observantiam. Ex antiqua conventionione cum Ducibus Bavariae inita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipitur, ita ut a massa detractis expensis et legatis a facultate paterna quinque **per** centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii et jurisdictionis ecclesiasticae, nec non libertatis ecclesiarum tuendae?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna constitutionalis illa legislatio, insuper et protestantismus atque indifferentismus, et hoc tempore spiritus malignus seductionis et subversionis, qui omne bonum perdere conatur.

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo, pro clero?*

Ad IX<sup>num</sup>: Si a Superiori evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt, quae Deo adjuvante complevi:

Domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae cum sufficienti dotatione me curante instituta est.

Seminarium puerorum juxta praeceptum Ss. Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi, ita ut nunc circa 300 alumni in hoc Seminarium recipiantur.

Ecclesiam Cathedrali injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi.

Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato stylo Romano magnificentissime extruxi.

Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi et in ea viam crucis in tabulis magnis et artificiose celatis erexi.

Alias duas capellas Ecclesiae Cathedrali contiguas restitui.

Ecclesiam ad Ss. Salvatorem Passavii tempore saecularisationis devastatam et venditam recuperavi et restorationi ejus mille florenos ex meis facultatibus impendi.

In domo episcopali ex meis facultatibus pulcherrimam capellam exstruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum Sacrificium offero.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerceo.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

Magna et multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter et fideliter pugnaverim, in utilitatem et honorem Ecclesiae ceciderunt.

Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte prope Passavium sitam, frequentia Fidelium celeberrimam, sed negligentia et vetustate deperditam magnificentissime restauravi, ita ut auro et ornamentis resplendeat. Quindecim mysteria sancti Rosarii Beatissimae Virginis Mariae in tabulis magnis arte sculptili repraesentata curavi, ita ut prope ecclesiam praefatam singula mysteria in singulis sacellis sint disposita.

Domus pro sacerdotibus saecularibus apud dictam ecclesiam Beatae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte sita, quae usque adhuc tantum quatuor vel quinque sacerdotes recipere potuit, ita a me amplificata et adaptata est, ut nunc circa viginti presbyteri saeculares in illa versentur, qui vitam communem degentes divino cultui in ista ecclesia inserviunt, horas canonicas in choro communiter celebrant, et ingenti multitudini ad ecclesiam Beatae Virginis Mariae Auxiliatricis peregrinantium verbum divinum praedicant et sacramenta Confessionis et Eucharistiae Sanctissimae administrant.

In eodem monte prope ecclesiam Beatae Virginis Mariae Auxiliatricis singularem domum pro exercitiis spiritualibus institui, ita ut presbyteris hujus Dioeceseos occasio data sit, hac recreatione spirituali deinceps per totum annum fruendi.

Ibidem aliam domum constitui pro presbyteris propter delicta corrigendis.

Aliam domum in illo loco paravi, ubi presbyteri suspensi et cura animarum privati detineantur.

Ad augendam dotationem istarum domorum clericalium dotationem eis feci in fundis, qui circa sex millia florenorum pretium habent.

Pro Seminario Alumnorum in civitate Passaviensi hortum latissimum comparavi.

Reliquias Sanctorum Ecclesiae Cathedralis tempore saecularisationis dispersas et neglectas opere quam maximo collegi, et in vasis, ut optime tueantur, dignissime composui.

Sacerdotalia indumenta pro Ecclesia Cathedrali in ordinem optimum redegei, illa adauxi et pro asservandis illis ceterisque ecclesiasticis ornamentis singulare ac amplum aedificium adaptavi.

Pro bibliotheca dioecesana bene et utiliter disponenda aedem amplitudine atque commoditate excellentem acquisivi.

**Domum episcopalem sumptibus meis optime restauravi.**

Numerosam et pretiosam collectionem picturarum, quae imagines Sanctorum repraesentant, ad capellam, quam in domo episcopali extruxi, dono dedi.

Ad exercitia spiritualia pro singulis presbyteris Dioeceseos singularem domum, ut supra dixi, constitui. Ut autem clerus totius Dioeceseos quotannis majori ex parte Passavii in Ecclesia Cathedrali me dirigente communiter exercitiis spiritualibus frui possit, omnia ad hunc finem circa suppellectilem, habitationem &c. necessaria comparavi, et his sumptibus quatuor millia florenorum impendi. Tempore autumnali anno 1849 primo haec spiritualia exercitia pro clero totius Dioeceseos institui. Confluxit ad hunc finem magna frequentia cleri ex tota Dioecesi, et fructus exercitorum spiritualium erant magni et valde laetabundi. Haec exercitia spiritualia pro clero totius Dioeceseos communia nunc omni anno tempore autumnali a me habentur.

Anno 1850 pro stabili fundatione Seminarii puerorum secundum normam Concilii Tridentini a me instituti, ultra magnas erogationes, quas annis prioribus dedi, dotationem triginta millium florenorum ex meis facultatibus **profuturo assignavi.**

Ecclesiam Cathedralem cum sacellis et altaribus suis et sacristia omnino splendide restauravi. In sacristia pro asservandis sacris et pretiosis vasibus ecclesiasticis duas concamerationes firmissimas construxi.

Pro officiis in Ecclesia Cathedrali praestandis optimum ordinem institui.

Mulierium ministeria, quae ad lotionem vel purgationem ecclesiae et pulsandas campanas aliasque similes res ex antiquis temporibus hic usitata erant, haud parvo certamine omnino abrogavi. Haec ministeria nunc in Ecclesia Cathedrali a viris

honestis rite et decenter praestantur, qui in Seminariis clericalibus vitam communem gerunt.

Ad ministerium altaris, chori, musicae et cantus, sacristiae &c. tantummodo pueri et juvenes ex Seminariis clericalibus adhibentur.

A primo mane, hora quinta usque ad meridiem omni semihora secundum meam institutionem sanctissimum Missae sacrificium in Ecclesia Cathedrali honorificentissime celebratur.

Diebus dominicis et festis pro excipiendis confessionibus Credentium certis horis continuo duodecim sacerdotes praesto sunt.

Pro diebus feriatis haud minus caute pro bono spirituali confitentium provisum est.

Diebus dominicis et festis verbum divinum primo mane, tunc serius hora quadam matutina, et tertio hora vespertina praedicatur.

Precibus et admonitionibus meis commoti Canonici et Clerici choro addicti nunc Matutinum, Laudes et horas minores in choro recitant. Ut autem officium divinum majori dignitate totum et omnino in Ecclesia Cathedrali persolvatur, institui, ut totum officium divinum ab alumnis Seminarii clericalis majoris, qui sacris ordinibus proximi vel in iis jam constituti sunt, recitetur, ita ut illi se jungant choro Canoniorum et choripresbyterorum, et loco eorum etiam Vesperas et Completorium in choro persolvant. Talimodo provisum est, ut totum officium divinum digne in choro recitetur et circa nonaginta vel centum clerici illi intersint.

Ad majorem Dei gloriam et animarum salutem foundationem etiam feci et acquisivi, ut nunc quotannis in Ecclesia Cathedrali tempore sancto majoris hebdomadis a Sabbato ante Dominicam Palmarum usque ad Vesperas feriae secundae post Resurrectionem D. N. J. Ch. a duodecim presbyteris regularibus, quorum sex Congregationis Ss. Redemptoris, sex autem Ordinis fratrum minorum S. P. Francisci Capucinatorum sunt, Missio publica et solemnis, me et clero saeculari civitatis Passaviensis adjuvante, pro populo habeatur. Haec Missio publica in civitate Passaviensi nunc jam annis 1851-1852-1853-1854-1855-1856-1857 cum maximo fructu animarum habita est.

Simili modo institui, ut in regio Gymnasio et in regiis scholis latinis civitatis Passaviensis tempore paschali exercitia spiritualia habeantur.

Pro tota autem Dioecesi institutionem feci, ut quotannis circa viginti quinque in parochiis specialiter a me designatis per patres Ordinis Ss. Redemptoris, qui Vetroettingae domum habent, Missiones solemnes pro populo celebrentur.



Seminaria clericalia a me condita et adaucta eo pervenerunt, ut omnes Candidati status clericalis nunc in hisce Seminariis a teneris annis usque ad susceptum ordinem sacerdotalem aluntur et instruuntur. Penuria sacerdotum, quae erat maxima, anno elapso 1852 omnino cessavit, cum per Seminaria clericalia alendis et instruendis Candidatis status clericalis sufficientissime sit provisum.

Ad amplificanda Seminaria clericalia et pro rebus eorum oeconomicis suscipiendis domum quam maximam, prope Ecclesiam Cathedralem sitam, pro summa circa viginti millium florenorum /: jam soluta: / acquisivi.

Cum dilectus meus pater anno 1852 e vita decessisset, cum matre mea testamentum judiciale feci, in quo Seminarium puerorum haeredem universalem patrimonii nostri, haud exigui, instituimus.

Mea cura et provisione in Dioecesi Passaviensi nunc eo perventum est, ut omni parochi emerito pro annua sustentatione circa sexcenti floreni, aliis vero presbyteris emeritis circa quadringenti floreni, aegrotantibus et egenis sacerdotibus autem in momentaneis angustiis versantibus sufficiens stips exhiberi possit.

Curiam episcopalem et omnem ejus supellectilem funditus et splendide restauravi et sacris imaginibus exornavi, ita ut dignam et clericalem praebeat speciem.

Pro aerario Curiae adservando concamerationem firmissimam exstruxi.

Omnes, qui Curiae episcopali pro scripturis aliisque Cancellariae ministeriis inserviunt, presbyteri sunt, qui optimis moribus excellunt, vitam communem in Seminariis clericalibus degunt, et vestimento talari utuntur, choro in Ecclesia Cathedrali quotidie intersunt, et in illa curam in sacris officiis praestandis diebus dominicis festisque diligentissime exercent.

### *IX. ut supra f. 7.*

*An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo, pro Clero?*

*Anno hoc lapso cura et diligentia mea eo perveni, ut Virgines supradictae Anglicae nunc omnes scholas omnium puellarum hujus civitatis Passaviensis susceperint. Ad hunc finem omnino perficiendum domum Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris adjunctam /: quae antiquis temporibus canonicis dictae Ecclesiae inservivit :/ ex meis facultatibus emi, et ad scholas puellarum in hac parte civitatis Passaviensis a Virginibus Anglicis suscipiendas singulari donatione mea destinavi.*

Mea opera etiam Virgines illae anglicae pro salvandis et instruendis pauperibus et derelictis puellis domui Passavii ad hunc finem specialiter acquisitae et institutae praesunt.

In parochiis Burghausen, Breitenberg, Bischofsmais, Hauzenberg, Marctl, Schwanenkirchen, Waldkirchen, Weng, Wollaberg cura mea novae Ecclesiae parochiales exstructae sunt<sup>91</sup>.

Passavii ecclesiam antiquissimam Sancti Severini, vetustate et negligentia omnino corruptam, multis millibus restauravi florenorum<sup>92</sup>.

In coemeterio huic ecclesiae adjuncto pro Capitulo Ecclesiae Cathedralis Passaviensis et pro Clero Passaviensi sepulcrum commune dignissimum impensis plus quam tribus millibus florenorum ex meis pecuniis condidi.

Ad perennem memoriam dogmaticae definitionis de immaculato Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptu a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. promulgatae monumentum singulare et eximium in civitate Passaviensi erigere constitui<sup>93</sup>. – In hunc finem ecclesiam Sancti Francisci magnificam ante quinquaginta annos tempore saecularisationis profanatam, devastatam et venditam, ad portam pri[n]cipalem et in facie totius civitatis Passaviensis pulcherrime sitam, pretio circa viginti millium florenorum acquisivi et subveniente clero et populo Passaviensi proximo tempore sumptibus maximis et splendore insigni restituam et ad honorem Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Dei Genitricis Mariae ad monumentum perenne et in memoriam perpetuam celeberrimae promulgationis illius sanctissimi mysterii solemnissime dedicabo.

Et ut sacra solemnitas promulgationis praedictae in civitate Passaviensi quotannis renovetur, festum novendiale institui in ecclesia Beatissimae Virginis Mariae auxiliatricis prope Passavium sita, a me splendidissime restaurata et collegio viginti sacerdotum ad divinum cultum a me instructa, singulis annis in mense Maji summa magnificentia celebrandum. Annis elapsis haec solemnitas ingenti concursu fidelium celebrata est<sup>94</sup>.

### § III.

<sup>91</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 50f, 105-107, 199f.

<sup>92</sup> Siehe dazu: Maier, Hofstätter und seine Kunstschöpfungen (wie Anm. 1) 157-164.

<sup>93</sup> Näheres ebd. 164-187.

<sup>94</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 89. – Vgl. auch Kurt Küppers, Marienfrömmigkeit zwischen Barock und Industriezeitalter. Untersuchungen zur Geschichte und Feier der Maiandacht in Deutschland und im deutschen Sprachgebiet, St. Ottilien 1987, 189-196.

*De tertio relationis capite, ad Clerum saecularem pertinente.*

*I. An Canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecclesiae choro jugiter intersint?*

Ad I<sup>mum</sup>: Omnes choro, nisi infirmitate et aetate impediti, intersunt diligenter.

*II. An ultra matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrant Missam conventualem eamque applicent pro Benefactoribus?*

Ad II<sup>dum</sup>. Cum regimen Ecclesiae Passaviensis susciperem, res ita se habuit, ut in choro tantummodo horae minores cum vesperis et completorio recitarentur. Matutinum et laudes vero quisque privatim recitabat. Nunc autem precibus et admonitionibus meis Canonici et Presbyteri choro addicti matutinum, laudes et horas minores in choro rite recitant, vespersas autem cum completorio privatim persolvunt. Missa conventualis a Canonicis et Dignitariis quotidie applicatur.

*III. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent?*

Ad III<sup>tium</sup>: Capitulum Ecclesiae Cathedralis **observat rite Constitutiones suas consuetas.**

*IV. An qui obtinent praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Canonici obtinentes Praebendam Poenitentiarum et Theologalem accurate et plene munera sua implent.

*V. An Parochi in suis parochiis resideant?*

Ad V<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident, nec ulli licet sine nostra licentia per plures dies abesse, pro quo casu iste, data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet, eumque nobis designare.

*VI. An librum Matrimoniorum et Baptizatorum et alios libros, quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis casu ab haeredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut Sacramenta populo administrent?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Major Parochorum pars propter plebis numerum vel parochiae ambitum uno Cooperatore, alii etiam pluribus indigent, alii propter infirmitatem vel senium Cooperatoris adjutorio utuntur.

*VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipsi incitentur, sed Decani etiam sollicite desuper invigilare teneantur. Adjutores autem et juniores sacerdotes ad finem anni et catecheses et conciones diligenter elaboratas scripto ad Consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi stricte censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem dominicis et aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad IX<sup>num</sup>: Parochi vel iis legitime impeditis, eorum Capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scholis publicis tam pueros quam puellas in religionis scientia instruere et examinare, et insuper etiam in scholis festivis, quas pueri et puellae a XII<sup>mo</sup> aetatis anno usque ad XVIII<sup>vum</sup> annum frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita ut ex hac parte doctrina christiana frequentius tractatur, quam alias solitum fuerat.

Injunctum est praeterea Parochis, ut in diebus dominicis loco homiliarum vel concionum catechetica instructionem secundum ordinem Catechismi Romani tradant et prosequantur, ita ut etiam adulti in cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur; hanc autem instructionem modo adultis magis conveniente, id est ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore quadragesimae a Parochis specialiter innupti et innuptae super Sacramenta Confessionis et Eucharistiae, super necessarios fidei articulos, super officia cujusque status &c. separatis hebdomadis diebus diligentissime in quaque parochia instruuntur ac examinantur. Quod ut diligentius secundum cujusvis indigentiam praestari possit, statutis diebus, eisque non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli Parochi ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad X<sup>mum</sup>: Omnes Parochi juxta praescriptum applicant, exceptis tamen iis Cooperatoribus, qui sacra facere debent in ecclesia filiali, cum parochus pro tota parochia applicet.

*XI. An et quae praemittantur, antequam quis ad tonsuram et ordines minores admittatur, et an sacris ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad XI<sup>mam</sup>: Ad primam Tonsuram vel minores ordines admittendi afferre debent testimonium baptismatis ac confirmationis unacum studiorum testimoniis ac etiam testimonium morum a proprio parochi; dein sicut et ceteris ordinibus initiandi subire debent examen rigorosum, vel in pleno consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinadoribus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia Ordinationi in hujus loci Seminario praemittuntur.

XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?

Ad XII<sup>mum</sup>: Habitus clericalis et decens unacum tonsura Clericis et Presbyteris dignis cunctis stricte inculcatur et etiam defertur, perpaucis tantum aliquo modo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad XIII<sup>tium</sup>: Hae Conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt. Existimo magnam distantiam parochiarum a sede decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa [!] fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod Neo-Ordinati presbyteri curaeque animarum exponendi pro cura non nisi ad annum adprobentur, et antequam id elabatur, novum examen apud constitutum examinadorem subire coguntur, aliquae quaestiones etiam scriptae solvendae sunt, quae unacum examinadoris judicio ad nos mitti debent. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio secunda vice nonnisi ad biennium datur adprobatio, quo elapso examen iterare eodem modo coguntur; dein post triennium, et tandem post quinquennium, ultra quod nullus adprobari solet, nisi

sit probatae scientiae et stabili beneficio provisos. Ita fit, ut quisquis studia diligenter persequi cogatur; quae autem de hac re sacra Congregatio rescripsit, simulac possibile erit, exsequi studebo.

*XIV. Quinam sint mores Cleri saecularis, et an aliquot in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad XIV<sup>um</sup>: Longe major pars Cleri confirmat opere, quod praedicat. Cum vero post saecularisationem per 23 et ultra annos nec Seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, mirandum non sit, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast Deo adjuvante mundabitur area, aliis paterna correctione, aliis severiori disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia, praesertim autem institutione aptissima in Seminario episcopali recepta a lapsu cohibitis.

§ IV.

*De quarto relationis capite, ad Clerum regularem pertinente.*

Omnia Monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere. Quae hic de iis referri possent, jam supra § I de Ecclesiae statu quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt memorata.

[§ V.]

*De quinto relationis capite, ad Moniales pertinente.*

Pari modo Monialium claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabilia supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata. **In omnibus** Monasteriis Virginum Anglicarum, in Monasteriis sororum pauperum, scholas puellarum curantium, **et in Conventu sororum misericordiae secundum regulam S. Vincentii de Paula viventium**, statuta rite servantur et clausura simul, in quantum **ab horum ordinum** regulis praescribitur, **tenetur**. Confessarius ordinarius earum nec non extraordinarius a me assignatus est. Visitavi jam saepius, nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo majora quotidie capit incrementa.

[§ VI.]

*De sexto relationis capite, ad Seminarium spectante.*

*I. Quot sint in Seminario Alumni?*

Ad I<sup>mum</sup>: In Seminario Clericorum circa 77, in Seminario puerorum 181 Alumni aluntur.

*II. An ecclesiastica disciplina recte instituatur?*

Ad II<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos Seminarii antistites et rectores.

*III. Quibus studiis vacent?*

Ad III<sup>tium</sup>: Repetuntur imprimis omnes principaliores Theologiae partes, quas Alumni in publico Lyceo audierunt, ita ut vel neglecta suppleantur, vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Liturgiae et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

*IV. An Cathedrali et aliis locis ecclesiis diebus festis inserviant?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Omnibus diebus alumni majoris Seminarii chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

*V. An cum consilio duorum Canoniorum seniorum a me electorum necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad V<sup>tum</sup>: Statui cum consilio totius Capituli Ecclesiae Cathedralis.

*VI. An illud aliquando visitem et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones Seminarii clericorum et puerorum strictissime observentur.

*VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur, et an aliqui sint morosi in ejus solutione?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Hanc taxam, ubi ex antiquo tempore constituta est, Clerici exacte solvunt; sed cum haec taxa minimi momenti sit, universus paene Clerus Dioeceseos precibus, admonitionibus et postulationibus meis evocatus secundum praecepta sacrosancti Concilii Tridentini Seminariis clericorum et puerorum collectis convenientibus laudabiliter et large subvenit.

§ VII.

*De septimo relationis capite, ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.*

*I. An in Sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et Anniversariorum?*

Ad I<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabellae vel in Sacristiis vel in Archivo parochiali.

*II. An in confraternitatibus, scholis aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera, a testatoribus injuncta?*

Ad II<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si sint anniversaria, Episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera exacte implere parochis gravissime injungitur, nec ab ulla confraternitate vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi fundatoris valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationem ab horum locorum administrationibus?*

Ad III<sup>tium</sup>: Ut supra dictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta patriae leges soli brachio saeculari et Magistratibus incumbit.

*IV. An montem pietatis &c.?*

*V. An infirmorum hospitalia visitaverim et reddituum rationes exegerim?*

Ad IV. & V<sup>tum</sup>: Ut dictum, in reddituum et administrationis ratione istae Communitates et montes pietatis magistratibus solis subjecta sunt.

§ VIII.

*De octavo relationis capite, ad populum pertinente?*

*I. Quinam sunt populi mores et an pietate proficiat?*

Ad I<sup>mum</sup>: Negari non potest, populi mores vel legum indulgentia, vel maxime bellorum praeteritorum exemplis pravis, et hoc tempore spiritu seditioinis et subversionis **praecipue** in civitatibus in multis fuisse corruptos. Ast populus maxime antiquae patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret, et si Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarium digni, pietate et scientia praediti sacerdotes



instituantur, sperari potest, Deo auxiliante meliorem morum statum revocandum fore. De cetero omne studium et operam in his et aliis omnibus, quae ad officium meum spectant, impendere non omitam, atque Deo auxiliante confisus, nisi omnia religionis et societatis vincula dirumpantur, spero, castigatiores mores restabiliendos fore.

Inprimis clerus et populus hujus Dioeceseos ultimis elapsis annis, in quibus in Germania ubique seditiones et tumultus adversus auctoritatem publicam erumpebant, omni laude dignissimum se exhibuit. Nam clerus morum probitate et gravitate, obedientia et reverentia erga ecclesiasticas leges et auctoritatem ecclesiasticam excellens, ab omnibus insidiis et perturbationibus adversus civilem et ecclesiasticam auctoritatem tunc comparatis ita omnino se abstinuit, ut nec unus ex ordine clericorum hujus Dioeceseos ob talem causam puniendus vel corrigendus existeret. Populus autem non minus ita pie et honeste se gessit, ut nec secta detestabilis Rongeanorum apud illum aditum aliquem sibi patefacere, nec ullus conventus politico-democraticus ne in uno quidem loco se constituere possit.

Quinimmo tunc temporis sicut et nunc populus Dioeceseos pro piis operibus et splendore ecclesiarum magna et multa munera obtulit, et Seminario puerorum, quod adjuvante Deo suscepto Dioeceseos regimine institui, ita largiter donis et oblationibus subvenit, ut anno currente circa trecentos pueros et juvenes in Seminario alere et educare possim.

Civitas autem Passaviensis, in qua sedes episcopalis est, ita tranquillitatem, ordinem, reverentiam et obedientiam erga publicas auctoritates tam civiles quam ecclesiasticas conservavit, ut nec minima vel die vel nocte in illa perturbatio erumperet, et quantum scio, haec paene unica major civitas in Germania est, quae nullis turbis politicis obstringebatur.

Quare Rex noster Maximilianus II, cum hanc partem Regni sui visitaret, ob hunc rerum statum valde laetatus mihi ipsi dixit: „Se nunc expertum habere, catholicam religionem certissimum esse pignus fidei subditorum erga personam suam Regiam. Si unquam res male evenirent, Passavii residere sibi proposuisse, et illo tempore, cum ubique magnae perturbationes exorirentur, jam in eo fuisse, ut propositum hoc perageret.”

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae consilio et adjutorio Sedis Apostolicae indigeat?*

Ad II<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo, custodiente Deo, in hac Ecclesia seu Dioecesi irrepsit.

§ IX.

*De ultimo relationis capite, ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennialium et **quinquennialium** praesertim mihi benignissime impertiri dignatus est, ut ad regendam confisam Dioecesim sufficientes mihi videantur.

Quapropter importunum judico, Sanctissimum Patrem pro ampliandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

Quoniam autem Ecclesiae navis novis identidem procellis impetitur, si quae novae facultates ad regimen Ecclesiae requirentur, humillimas preces pro rerum circumstantiis adhibebo, atque de Summi Pontificis innata clementia confido.

**Ultimam meam relationem anno 1853 ipse Romam attuli sacra SS. Apostolorum limina personaliter visitans, quod et jam 1844 simili modo feci.**

**Hoc anno autem quam maximis laboribus, curis et operis pro salute Dioeceseos Passaviensis impeditus, quominus ego ipse hanc relationem Romam afferam et Apostolorum limina personaliter visitem, humillime deprecor, ut ob praedicta impedimenta per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a personali visitatione sacrorum SS. Apostolorum liminum pro hac vice absolvar et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.**

**Ad hoc munus explendum Secretario Legationis Bavaricae apud Sanctam Sedem, equiti de Mehlem speciale mandatum dedi.**

Ceterum spero, Dei spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et Sacri Concilii interpretibus, ac per eos Sanctissimo Patri, ejus sacros pedes reverendissime exosculor, meam erga Ecclesiam Romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adiutorio confisus, iterate promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et

favoribus humillime commendo, ac me profiteor Eminentissimorum Patrum,  
Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii interpretum

Passavii die 25. Nov. 1857

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

### 1861

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et  
Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis  
Concilii Interpretes, ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita. A. D. 1861.

§ I.

*De primo Relationis Capite.*

*De statu Ecclesiae Passaviensis materiali.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a saeculo octavo i. e. anno 737, cum  
devastata ab Hunnis civitate Laureacensi, quae erat sedes Episcopalis, Episcopus  
Vivilo vel Wulfilo nomine unacum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum  
duce Odilone liberalissime exceptus fuisset. Extenderant se fines Dioeceseos  
Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua ad ipsam quoque pertinebat,  
usque in Pannoniam et Moraviam, quarum regionum populi usque ad adventum S.  
Bonifacii quoad pastorale munus tunc temporis a Sede Passaviensi dependebant.

S. Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem ac occidentalem partem  
novis creatis Episcopis submitit, quibus novas Sedes nempe Salisburgum, Frisingam  
et Ratisbonam assignavit.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-Passaviensis se extendit, cum Moraviam et  
partem Pannoniae includeret, usque dum ad finem saeculi noni et initium decimi sub  
Episcopo Passaviensi Richardo Moravia proprios Episcopos obtinuit.

Tandem sub Episcopo nomine Christiano, qui ab anno 991 usque ad annum 1013  
Ecclesiam Passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano

I. Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatos fundati fuere, et anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen ut ad ultima usque tempora etiam Vicarius Generalis ab Episcopo Passav. constitutus Viennae resideret, qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam et Linciam remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra Anasum, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia B. V. M. ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret.

De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars, quae vocatur silva Viennensis, cum Archiepiscopatu Viennensi unita fuit.

Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub Imperio Josephi II. Austriaci, Romani Imperatoris, qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi et Principe Cardinali de Firmian omnes ditionis suae Ecclesias ab episcopalis Ecclesiae Auctoritate avulsit, atque Lincii civitate in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit.

Hoc autem tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passav. in Austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus et Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento retineret, donec Princeps Episcopus Comes de Auersberg, Cardinalis de Firmian Successor, petitionibus Imperatoris unacum Capitulo consentiens pro Dotatione novi Linciensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret.

Quamquam haec omnia florentem hanc antiquissimam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen divina sic sapientia disponente, ei reservata fuerunt detrimenta.

Annus Saecularisationis 1802 evertit non tantum, quae a mundo pretio habentur /:ablati thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia et ornamenta direpta vel dispersa:/, sed etiam anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret, sed quod maxime etiam ex manifestis rationibus plangendum, Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede tandem annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem, in regno Bohemiae coemptam, secessit, ibi per annos 23 commoratus anno 1826 die 22. Octobris obiit.

Huic successit in Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona, qui nominatus a Ludovico Rege Bavariae, confirmatus a p. m. Papa Leone XII. in Consistorio sub IX Aprilis 1827, consecratus 25. Aprilis ejusdem anni.

Defuncto Episcopo Carolo Josepho 25. Maji 1839 ego indignus et immeritus a Ludovico Rege Bavariae in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum nominatus, a Sanctitate Sua p. m. beatissimo Papa Gregorio XVI. in Consistorio sub 23. Decembris 1839 habito promotus et confirmatus atque 25. Februarii 1840 consecratus fui et 17. Martii ejusdem anni Ecclesiae Passaviensis regimen, spe divini auxilii fretus, ingressus sum.

## *II. Confinia.*

Ad II<sup>dum</sup>: Ecclesia Passaviensis post tot discrimina rerum tandem per Concordatum inter Sanctissimum Dominum p. m. Pium VII. Pont. Max. et Maximilianum Josephum, Regem Bavariae, initum fixos obtinuit limines, firmioremque, ut in Domino speramus, existentiam, nam omnipotens Deus, qui restituit eam et confirmabit.

Cum limites Dioeceseos in Bulla Circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri” accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen juvabit, Parochias Ainring, Anger, Fridorffing, Inzell, Kai, Laufen, Marzell, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, [Salzburghofen, Surberg, Teisendorf, Tittmoning] Waging et S. Zenonis, quae ad Archidioecesin Salisburgensem pertinebant, et in Bulla Circumscriptionis de dato 8. Septembris 1821 Dioecesi Passaviensi, quarum ne minime quidem contiguae erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice Parochias Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Burgkirchen ad silvam, Feichten cum Vicariatibus s. Crucis et Tyrlaching, Halsbach, Reitenhaslach, Veteroettinga, Alzger, Kastl, Neo-oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reischach, Reit, Stammham, Unterneukirchen, Winhoering cum Beneficiis Heiligenstadt, Tissing, Klebing, Marktl, Taubenbach, Wald Dioecesi Passaviensi, utpote illi proxime adjacentes et contiguas assignatas esse, quo facto circumscriptio Dioecesis Passaviensis a sacra Apostolica Nuntiatura Monachii 8. Dec. 1822 modo definitivo facta et declarata fuit. Generatim autem sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe ad Orientem Dioecesim Linciensem in Austria; ad Meridiem Dioecesim Linciensem et Monaco-Frisingensem; ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem ac Ratisbonensem; ad Aquilonem Dioecesim Budvicensem in Bohoemia.

### *III. Privilegia et Praerogativa Episcopatus.*

Ad III<sup>tum</sup>: Episcopi Laureaco-Passavienses antiquis temporibus saepe archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab Apostolica Sede condecorati fuerunt. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos, erectis in Hungaria duobus Archiepiscopatibus, abrepta fuisset. Hujus tituli loco ab Ottone III. Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia. Cum variae dissensiones inter Salisburgensem et Passaviensem Ecclesiam propter Praecedentiam exortae fuissent, anno demum 1728 Ecclesia Passaviensis sub Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg a Summo Pontifice ut exempta immediateque S. R. Sedi subjecta declarata fuit; quod et inito novissimo Concordato, dum Episcopus et Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi concordati autem nunc a Sede Metropolitana Monaco-Frisingensi dependet.

### *IV. Numerus Civitatum, oppidorum et locorum, qui Episcopatus subjecta sunt.*

Ad IV<sup>tum</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecesibus haec Dioecesis Passaviensis, et quidem ex rationibus super allatis. Non numerat nisi 283782 Catholicos; civitates easque non amplas, non nisi 7 numerat, nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Landau, Neuoetting, Osterhofen et Vilshofen. Caetera in Bulla Circumscriptionis latissime describuntur, atque quaedam sub Num. 7 hujus paragraphi enarrabuntur.

### *V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad V<sup>tum</sup>: Ecclesia Cathedralis optime conservata Deo sacra est sub titulo S. Stephani Protomartyris. Aedificium, quamvis Sacrarium exterius referat architecturam Gothicam, interius est architecturae Romanae, et quidem pulcherrimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae in hoc stylo dici mereatur excellens, et Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum, ut Concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum et Decanum cum octo Canonicis et sex Vicariis, et recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo tres etiam sustentat Capellanos, qui Canonico, Ecclesiae Cathedralis parochi in animarum cura sunt adjutorio. Onera fundo Ecclesiae Cathedralis infixae accurate implentur. Fons baptismalis in Ecclesia ipsa existit, asservantur etiam insignes Reliquiae, praesertim S. Maximiliani Episcopi

et Martyris; S. Valentini Episcopi Confessoris, qui Passavii ex mandato S. Leonis Papae verbum Dei praedicavit ad medium saeculi quinti; sed ab incolis partim ethnicis partim Arianis, ad nostram confusionem dictum sit, finibus eorum expulsus fuit; tandem Sancti Corbiniani Episcopi Confessoris, qui saeculo octavo pietate et indefessis apostolicis laboribus floruit.

Adsunt necessaria etsi non numerosa nec tam splendida ut olim suppellectilia, tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda. Chorus tria organa sat splendida habet, et duo Campanilia cum campanis ornant Ecclesiam; Coemeterium autem extra suburbium ad dimidium horae spatium existit, muro munitum et clausum, juxta quod Ecclesia antiquissima S. Severino, hujus loci Apostolo celeberrimo dicata conspicitur. Redditus fabricae quoad necessarium sufficiunt. Munera summi Custodis unus ex Canonicis gerit; pro officio vero Theologi et Poenitentiarum duo Canonici a me constituti sunt, quorum unusquisque habet peculiarem suam et sufficientem praebendam. Omnes Dignitarii et Canonici in regenda Dioecesi sunt mihi a Consiliis. Omnia in plena Consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui et Expeditiones ordinarias subscribit, et unus ex Canonicis Cancellariae Directoris munus gerit. Pro causis matrimonialibus consilium separatum sub nomine Consistorii constitui, cui Canonicus ut officialis praeest, et duo ex Canonicis ut Consiliarii cum voto decisivo assistunt.

#### *VI. Status Ecclesiarum collegiatarum.*

Ad VI<sup>tum</sup>: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioeceseos limitibus non nisi duae extiterunt, nempe Vilshofii et Veteroettingae, quae anno praedicto omnino sublatae sunt.

#### *VII. Status et numerus Ecclesiarum parochialium necnon et aliarum Ecclesiarum et Oratoriorum.*

Ad VII<sup>mum</sup>: Status animarum catholicam Religionem profitentium et ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad numerum ut supra numero IV<sup>to</sup> indicavi<sup>95</sup>.

Parochiae numerantur .....	149
Expositurae seu Curatae .....	36
Parochi .....	146

<sup>95</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1862, 144-149.

Expositi seu Curati .....	30
Beneficia stabilia .....	56
Beneficia cum parochia seu Cooperatura vel Expositura aliqua unita .....	7
Beneficiati .....	55
Capellani seu Parochorum Cooperatores et Coadjutores .....	235
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	12
Professores .....	10
Commorantes .....	13
Monachi in monasteriis neoerectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis, ex quibus tamen modo <b>unus</b> parochiae praeest .....	51
Presbyterorum Summa excepto Capituli gremio et Vicariis .....	564.

*VIII. Numerus Monasteriorum tam virorum quam mulierum.*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum et mulierum Monasteriis et diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus ex iis perierunt:

Mendicantium monasteria et hospitia nempe Franciscanorum et Capucinatorum .....	7
Praelaturae Canonorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium et Cistercensium .....	8
Monasteria Virginum .....	3
.....	18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis tres communitates Ordinis Capucinatorum, nempe Burghusii ad Salzam, Veteroettingae et Neo-Oettingae, quarum fratribus et sacerdotibus non solum licet Eleemosynas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam eas apud fideles colligere.

Hi tres Conventus numerant:

Sacerdotes .....	19
Fratres laicos .....	21
.....	In Summa 40.

Favente Deo Veteroettingae etiam domum Congregationis Sanctissimi Redemptoris juxta regulam S. Alphonsi a Liguorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur. Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioecesis Passaviensis, sed etiam omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent.



Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus:

Patres professos .....	31
Fratres laicos professos .....	9
..... In Summa	40.

Patres hujus domus a regimine regio nullo modo impediuntur, in muneribus suis ab eo omnimodo agnoscuntur, redditus amplissimae dotationis domus Congregationis sine diminutione accipiunt, novitiatum et studia propria habent, novitii et studentes libere admittuntur.

Tres conventus Capucinorum Burghusii, Veteroettingae et Neo-oettingae et domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae quoad exercendam curam et cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum anglicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii et Veteroettingae, restitutis ipsis possessionibus, quibus prius fruebantur. Tertia hujusmodi communitas Passavii erecta et partim fundata est ab Antecessore meo Episcopo Carolo Josepho.

Aliae hujusmodi communitates mea opera institutae sunt in parochia ad S. Severinum et in parochia ad S. Bartholomaeum hic Passavii, et in parochiis Neoöttingae, Osterhofen, Pfarrkirchen, Hengersberg, Landau, Aigen, Schoenberg, Kirchberg in silva, Aicha in silva /: Fürstenstein :<sup>96</sup>.

Inserviunt hae Virgines instructioni et educationi puellarum cum maximo religionis fructu et subjacent Episcopo; quoad Oeconomica autem ipsae Virgines quidem eadem administrant, subsunt vero in his superinspektioni regiminis regii.

Morantur in hisce conventibus:

Veteroettingae:

Virgines .....	39
Sorores .....	23

Osterhofen:

Virgines .....	13
Sorores .....	9

Pfarrkirchen:

Virgines .....	5
----------------	---

<sup>96</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 94f.

Sorores .....	2
Hengersberg:	
Virgines .....	3
Sorores .....	1
Burghusii:	
Virgines .....	22
Sorores .....	17
Landavii:	
Virgines .....	6
Sorores .....	4
Neohusii ad Oenum:	
Virgines .....	8
Sorores .....	4
Aigenii:	
Virgines .....	2
Sorores .....	1
Neoöttingae:	
Virgines .....	7
Sorores .....	4
in parochia Ecclesiae Cathedralis ad Sanc. Stephanum:	
Virgines .....	37
Sorores .....	14
in parochia ad Sanctum Severinum:	
Virgines .....	3
Sorores .....	2
in parochia ad Sanctum Bartholomaeum:	
Virgines .....	2
Sorores .....	2
Schoenberg:	
Virgines .....	3
Sorores .....	1
Fürstenstein:	
Virgines .....	2
Sorores .....	1

..... In Summa 237.

Duae domus Virginum sub titulo „Sorores pauperes scholas puellarum curantes”  
Aidenbacii et Regeni neoerectae numerant

Virgines professas ..... 7

..... In Summa 7.

Per multos annos me operam quam maximam dante tandem pro cura in hospitio  
publico versantium aegrotorum institutus est conventus ex Congregatione Virginum  
Sororum Misericordiae secundum regulam S. Vincentii de Paula<sup>97</sup>

Passavii, qui numerat Sorores: ..... 6

Burghusii ..... 3

Landavii ..... 3

Hengersberg ..... 3

Obergriesbach ..... 3

..... In Summa 18.

*IX. An adsit in Dioecesi Seminarium clericorum[?]*

Ad IX<sup>num</sup>: Adest Seminarium clericorum. Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium clericorum tantummodo pro quindecim alumnis institutum inveni. Sed cum talimodo legibus ecclesiasticis circa hanc rem et bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam, ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae disciplinae tollerentur. Adjuvante Deo nunc post **unum et vincti** annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optime instructae sunt, et circa trecentos alumnos commode suscipere possunt. Anno currenti **266** alumni in his domibus versantur.

Secundum praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae juvenes, qui ad sacros ordines aspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur, et in disciplinis ecclesiasticis erudiuntur.

Extat igitur in praesenti Passavii Seminarium Clericorum et puerorum juxta praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae sensu strictissimo.

Sustentantur juvenes et pueri in hisce domibus recepti partim ex dotatione iam prius fundata partim per dotationem firmam ex mense [!] mea expiscopali [!]

<sup>97</sup> Siehe dazu: Schematismus Bistum Passau 1862, 167f.

subministrandam, partim ex collectis secundum normam sacrosanctae Synodi Tridentinae a Clero praestandis, partim ex eleemosynas [!], quas populus fidelis de meis precibus largitur.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum, Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad X<sup>mum</sup>: Quaelibet civitas habet hospitale, etiamque in oppidis inveniuntur. Eorum vero calculus et directio Magistratibus et Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni parochia existunt ac multum ad religionem promovendam pauperesque quandoque Ecclesias sustentandas conferunt; earum redditus autem, qui maximopere ex oblationibus sodalium proveniunt, a communitate unacum parochia juxta Bavariae constitutionem administrantur.

In omnibus paene parochiis totius Dioeceseos me instante a parochis sodalitates piae virginum et juvenum ad conse[r]vandos bonos mores institutae sunt.

Passavii associationem piam operariorum ad vitam honeste moderandam erexi, cui praecipue mea largitione subvenitur. **Hujuscemodi associationes adhuc erectae sunt sex in parochiis aliis.**

*XI. An adsint montes Pietatis[?]*

Ad XI<sup>mum</sup>: Mons pietatis unice Passavii existit, isque magistratui et gubernio subest, nec unquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

§ II.

*De secundo relationis capite ad meipsum pertinente.*

*I. An residentiae praeceptum impleverim?*

Ad I<sup>mum</sup>: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

*II. An et quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad II<sup>dum</sup>: Primum Dioecesim generaliter visitavi, tunc visitationem canonicam et specialem institui, ita ut nunc omnes parochias et curatias cum ecclesiis et sacellis suis etiam minimis in tota Dioecesi stricte visitaverim.

In omnibus ecclesiis parochialibus et curatis in hac visitatione santissimum Missae sacrificium obtuli et verbum divinum ad erudiendum populum praedicavi.

Hanc visitationem specialem et canonicam omnino in tota Dioecesi absolvi in mense Augusti anni elapsi 1850. Tertiam visitationem Dioeceseos anno 1853 institui et annis sequentibus prosecutus sum.

*III. An per me vel alium Episcopum sacras Ordinationes expleverim et Confirmationis Sacramentum administraverim?*

Ad III<sup>tum</sup>: Ordinationes sacras semper per meipsum explevi, et Confirmationis Sacramentum diligentissime semper ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi erant, confirmati fuerint.

*IV. An et quoties Synodum coegerim?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Synodum usque ad annum 1849 non coegi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia erat, ut istae superari non possent. In administranda Dioecesi autem Capitulum Ecclesiae Cathedralis mihi omnino a consiliis servit.

Anno 1849 vero, ut etiam in hac parte muneri episcopali satisfacerem, Synodum cogendam indixi. Jamque decreta de Synodo cogenda universo clero totius Dioeceseos insinuata erant, cum per Nuntiaturam Apostolicam literas a Sancta Sede ad Episcopos Bavariae directas acciperem, quae **propter** tempora nimis exagitata et nisi Synodis provincialibus praemissis Synodos non esse compellendas constituerunt. Et revera hae literae Apostolicae bono Ecclesiae in Germania in hisce rerum circumstantiis optime consuluerunt, et magna detrimenta averterunt. Synodum indictam sine mora renuntiavi.

*V. An verbum Dei per meipsum praedicaverim, an per alios viros idoneos?*

Ad V<sup>tum</sup>: Verbum Dei per meipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluyente, quam in ecclesiis ruralibus occasione visitationum et administrationis sancti Confirmationis Sacramenti. In Ecclesia Cathedrali verbum divinum in omnibus diebus festis praedico.

*VI. An habeam Depositorium poenarum ac mulctarum pecuniarium, et an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias sensu stricto indicare non licet, quare nihil de his dicendum.

*VII. Quatenus Taxa et an Innocentiana observetur?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Observatur in cancellaria episcopali taxa moderatissima juxta antiquam observantiam. Ex antiqua conventionione cum Ducibus Bavariae inita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipitur, ita ut a Massa detractis expensis et legatis a facultate paterna quinque **ex** centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii et jurisdictionis ecclesiasticae, nec non libertatis Ecclesiarum tuendae?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna, constitutionalis illa legislatio, insuper et protestantismus atque indifferentismus, et hoc tempore spiritus malignus seductionis et subversionis, qui omne bonum perdere conatur.

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo, pro clero?*

Ad IX<sup>num</sup>: Si a Superiori evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt, quae Deo adjuvante complevi:

Domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae cum sufficienti dotatione me curante instituta est.

Seminarium puerorum juxta praeceptum Ss. Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi, ita ut nunc circa 300 alumni in hoc Seminarium recipiantur.

Ecclesiam Cathedrali injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi. Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato stylo Romano magnificentissime extruxi.

Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi et in ea viam crucis ex tabulis magnis et artificiose elatis erexi.

Alias duas capellas Ecclesiae Cathedrali contiguas restitui.

Ecclesiam ad Ss. Salvatorem Passavii tempore saecularisationis devastatam et venditam recuperavi et restorationi ejus mille florenos ex meis facultatibus [!] impendi.

In domo episcopali ex meis facultatibus pulcherrimam capellam extruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum sacrificium offero.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerco.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

Magna et multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter et fideliter pugnaverim, in utilitatem et honorem Ecclesiae ceciderunt.

Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte prope Passavium sitam, frequentia fidelium celeberrimam, sed negligentia et vetustate deperditam magnificentissime restauravi, ita ut auro et ornamentis resplendeat.

Quindecim mysteria S. Rosarii Beatissimae Virginis Mariae in tabulis magnis arte sculptili repraesentata curavi, ita ut prope Ecclesiam praefatam singula mysteria in singulis sacellis sint disposita.

Domus pro sacerdotibus saecularibus apud dictam Ecclesiam B[eatissi]mae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte sita, quae usque adhuc tantum quatuor vel quinque sacerdotes recipere potuit, ita a me amplificata et adaptata est, ut nunc circa viginti presbyteri saeculares in illa versentur, qui vitam communem degentes divino cultui in ista Ecclesia inserviunt, horas canonicas in choro communiter celebrant, et ingenti multitudini ad Ecclesiam Beatae Virginis Mariae Auxiliatricis peregrinantium verbum divinum praedicant et sacramenta Confessionis et Eucharistiae Sanctissimae administrant.

In eodem monte prope Ecclesiam B. V. Mariae Auxiliatricis singularem domum pro exercitiis spiritualibus institui, ita ut presbyteris hujus Dioeceseos occasio data sit, hac recreatione spirituali deinceps per totum annum fruendi.

Ibidem aliam domum constitui pro presbyteris propter delicta corrigendis.

**Alteram** domum in illo loco paravi, ubi presbyteri suspensi et cura animarum privati detineantur.

Ad augendam dotationem istarum domorum clericalium dotationem eis feci in fundis, qui circa sex millia florenorum pretium habent.

Pro Seminario Alumnorum in civitate Passaviensi hortum latissimum comparavi.

Reliquias Sanctorum Ecclesiae Cathedralis tempore saecularisationis dispersas et neglectas opere quam maximo collegi et in vasis, ut optime tueantur, dignissime composui.

Sacerdotalia indumenta pro Ecclesia Cathedrali in ordinem optimum redege, illa adauxi et pro asservandis illis ceterisque ornamentis singulare ac amplum aedificium adaptavi.

Pro bibliotheca dioecesana bene et utiliter disponenda aedem amplitudine atque commoditate excellentem acquisivi.

Domum episcopalem sumptibus meis optime restauravi.

Numerosam et pretiosam collectionem picturarum, quae imagines Sanctorum repraesentant, ad capellam, quam in domo episcopali extruxi, dono dedi.

Ad exercitia spiritualia pro singulis presbyteris Dioeceseos singularem domum, ut supra dixi, constitui. Ut autem clerus totius Dioeceseos quotannis majori ex parte Passavii in Ecclesia Cathedrali me dirigente communiter exercitiis spiritualibus frui possit, omnia ad hunc finem circa suppellectilem, habitationem etc. necessaria comparavi, et his sumptibus quatuor millia florenorum impendi. Tempore autumnali anno 1849 primo haec spiritualia exercitia pro clero totius Dioeceseos institui. Confluxit ad hunc finem magna frequentia cleri ex tota Dioecesi et fructus exercitiorum spiritualium erant magni et valde laetabundi. Haec exercitia spiritualia pro clero totius Dioeceseos communia nunc omni anno tempore autumnali a me habentur.

Anno 1850 pro stabili fundatione Seminarii puerorum secundum normam Concilii Tridentini a me instituti, ultra magnas erogationes, quas annis prioribus dedi, dotationem triginta millium florenorum ex meis facultatibus pro futuro assignavi.

Ecclesiam Cathedralem cum sacellis et altaribus suis et sacristia omnino splendide restauravi. In sacristia pro asservandis sacris et pretiosis vasibus ecclesiasticis duas concamerationes firmissimas construxi.

Pro officiis in Ecclesia Cathedrali praestandis optimum ordinem institui.

Mulierum ministeria, quae ad lotionem [!] vel purgationem ecclesiae et pulsandas campanas aliasque similes res ex antiquis temporibus hic usitata erant, haud parvo certamine omnino abrogavi. Haec ministeria nunc in Ecclesia Cathedrali a viris honestis rite et decenter praestantur, qui in Seminariis clericalibus vitam communem gerunt.

Ad ministerium altaris, chori, musicae et cantus, sacristiae etc. tantummodo pueri et juvenes ex Seminariis clericalibus adhibentur.



A primo mane, hora quinta usque ad meridiem omni semihora secundum meam institutionem sanctissimum Missae sacrificium in Ecclesia Cathedrali honorificentissime celebratur.

Diebus dominicis et festis pro excipiendis confessionibus credentium certis horis continuo duodecim sacerdotes praesto sunt. Pro diebus feriatis haud minus caute pro bono spirituali confitentium provisum est.

Diebus dominicis et festis verbum divinum primo mane, tunc serius hora quadam matutina et tertio hora vespertina praedicatur.

Precibus et admonitionibus meis commoti, canonici et clerici choro addicti nunc matutinum, laudes et horas minores in choro recitant. Ut autem officium divinum majori dignitate totum et omnino in Ecclesia Cathedrali persolvatur, institui, ut totum officium divinum ab alumnis Seminarii clericalis majoris [!], qui sacris ordinibus proximi vel in iis jam constituti sunt, recitetur, ita ut illi se jungant choro canonicorum et choripresbyterorum et loco eorum etiam vesperas et completorium in choro persolvant. Talimodo provisum est, ut totum officium divinum digne in choro recitetur, et circa nonaginta vel centum clerici illi intersint.

Ad majorem Dei gloriam et animarum salutem foundationem etiam feci et acquisivi, ut nunc quotannis in Ecclesia Cathedrali tempore sancto majoris hebdomadis a Sabbato ante Dominicam Palmarum usque ad vesperas feriae secundae post Resurrectionem D. N. J. Chr. a duodecim presbyteris regularibus, quorum sex Congregationis Ss. Redemptoris, sex autem Ordinis fratrum minorum S. P. Francisci Capucinatorum sunt, missio publica et sollemnis, me et clero saeculari civitatis Passaviensis adjuvante, pro populo habeatur. Haec missio publica in civitate Passaviensi nunc jam ab anno 1851 usque ad annum 1861 cum maximo fructu animarum quotannis habita est.

Simili modo institui, ut in regio Gymnasio et in regiis scholis latinis civitatis Passaviensis tempore Paschali exercitia spiritualia habeantur.

Pro tota autem Dioecesi institutionem feci, ut quotannis in parochiis specialiter a me designatis per patres Ordinis Ss. Redemptoris, qui Veteroettingae domum habent, missiones sollemnes pro populo celebrentur.

Seminaria clericalia a me condita et adaucta, eo pervenerunt, ut omnes candidati status clericalis nunc in hisce seminariis a teneris annis usque ad susceptum ordinem sacerdotalem, aluntur et instruuntur.

Penuria sacerdotum, quae erat maxima, anno elapso 1852 omnino cessavit, cum per Seminaria clericalia alendis et instruendis candidatis status clericalis sufficientissime sit provisum.

Ad amplificanda Seminaria clericalia et pro rebus eorum oeconomis [!] suscipiendis domum quam maximam, prope Ecclesiam Cathedralem sitam, pro summa circa viginti millium florenorum /: jam soluta :/ acquisivi.

Cum dilectus meus pater anno 1852 e vita decessisset, cum matre mea testamentum judiciale feci, in quo Seminarium puerorum haeredem universalem patrimonii nostri, haud exigui, instituimus.

Mea cura et provisione in Dioecesi Passaviensi nunc eo perventum est, ut omni parrocho emerito pro annua sustentatione circa sexcenti floreni, aliis vero presbyteris emeritis circa quadringenti floreni, aegrotantibus et egenis sacerdotibus autem in momentaneis angustiis versantibus sufficiens stips exhiberi possit.

Curiam episcopalem et omnem ejus suppellectilem funditus et sple[n]dide restauravi et sacris imaginibus exornavi, ita ut dignam et clericalem praebeat speciem.

Pro aerario curiae adservando concamerationem firmissimam exstruxi. Omnes, qui curiae episcopali pro scripturis aliisque cancellariae ministeriis inserviunt, presbyteri sunt, qui optimis moribus excellunt, vitam communem in Seminariis clericalibus degunt, et vestimento talari utuntur, choro in Ecclesia Cahedrali quotidie intersunt et in illa curam in sacris officiis praestandis diebus dominicis festisque diligentissime exercent.

Anno hoc lapso cura et diligentia mea eo perveni, ut Virgines supra dictae Anglicae nunc omnes scholas omnium puellarum hujus civitatis Passaviensis susceperint. Ad hunc finem omnino perficiendum domum Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris adjunctam /: quae antiquis temporibus canonicis dictae Ecclesiae :/ inservivit ex meis facultatibus emi et ad scholas puellarum in hac parte civitatis Passaviensis a Virginibus Anglicis suscipiendas singulari donatione mea destinavi.

Mea opera etiam Virgines illae anglicae pro salvandis et instruendis pauperibus et derelictis puellis domui Passavii ad hunc finem specialiter acquisitae et institutae praesunt.

In Parochiis Burghausen, Breitenberg, Bischofsmais, Hauzenberg, Marktl, Schwannenkirchen, Waldkirchen, Weng, Wollaberg, **Sonnen, Landau** cura mea novae Ecclesiae parochiales **et curatae** exstructae sunt.

Passavii ecclesiam antiquissimam Sancti Severini, vetustate et negligentia omnino corruptam, multis millibus florenorum pecunia mea splendidissime restauravi.

In coemeterio huic ecclesiae adjuncto pro Capitulo Ecclesiae Cathedralis Passaviensis et pro Clero Passaviensi sepulcrum commune dignissimum impensis plusquam tribus millibus florenorum ex meis pecuniis condidi.

Ad perennem memoriam dogmaticae definitionis de immaculato Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptu a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX. promulgatae monumentum singulare et eximium in civitate Passaviensi erigere constitui. In hunc finem Ecclesiam S. Francisci magnificam ante quinquaginta annos tempore saecularisationis profanatam, devastatam et venditam, ad portam principalem et in facie totius civitatis Passaviensis pulcherrime sitam, pretio circa viginti millium florenorum acquisivi et subveniente clero et populo Passaviensi proximo tempore sumptibus maximis et splendore insigni restituam et ad honorem Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Dei Genitricis Mariae monumentum perenne et in memoriam perpetuam celeberrimae promulgationis illius sanctissimi mysterii solemnissime dedicabo.

Et ut haec sacra solemnitas promulgationis praedictae in civitate Passaviensi quotannis renovetur, festum novendiale institui in ecclesia Beatissimae Virginis Mariae auxiliatricis prope Passavium sita, a me splendidissime restaurata et collegio viginti sacerdotum ad divinum cultum a me instructa, singulis annis in mense Maji summa magnificentia celebrandum. Annis elapsis haec solemnitas ingenti concursu fidelium est celebrata.

Mea cura et opera antiquissimum monasterium Damenstift prope Osterhofen, tempore saecularisationis suppressum – castellum Neuhaus et castellum Fürstensteim [!] – quae sunt aedificia amplissima et splendida ad educandas puellas generatim et ad salvandas et instruendas pauperes et derelictas puellas specialiter pro Virginibus supra dictis anglicis acquisivi et novas domos ad eundem finem pro illis, extra jam supra enumeratas in Pfarrkirchen, Hengersberg, Landau, Aigen et Schönberg procuravi.

Pro Seminariis puerorum et clericorum singulare nosocomium optime adaptatum erexi et institui.

Aedificia trium Seminariorum pro pueris et clericis alendis et educandis propter necessitatem urgentissimam maximis sumptibus convenientissime et latissime ampliavi.

Ad promovendam sanctissimam religionem et bonos mores colendos a Patribus ordinis Sanctissimi Redemptoris hucusque 150 /: centum et quinquaginta :/ missiones piae pro plebe rurali et in oppidis mea ordinatione ac meo jussu habitae sunt.

§ III.

*De tertio relationis capite ad Clerum saecularem pertinente.*

*I. An Canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecclesiae choro jugiter intersint?*

Ad I<sup>mum</sup>: Omnes choro, nisi infirmitate et aetate impediti, intersunt diligenter.

*II. An ultra matutinum, laudes et ceteras horas canonicas quolibet die celebrant Missam conventualem eamque applicent pro Benefactoribus?*

Ad II<sup>dum</sup>: Cum regimen Ecclesiae Passaviensis susciperem, res ita se habuit, ut in choro tantummodo horae minores cum vesperis et completorio recitarentur. Matutinum et Laudes vero quisque privatim recitabat. Nunc autem precibus et admonitionibus meis canonici et presbyteri choro addicti matutinum, laudes et horas minores in choro rite recitant, vespersas autem cum completorio privatim persolvunt. Missa conventualis a Canonicis et Dignitariis quotidie applicatur.

*III. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent?*

Ad III<sup>tium</sup>: Capitulum Ecclesiae Cathedralis observat rite constitutiones suas consuetas.

*IV. An qui obtinent praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Canonici obtinentes Praebendam Poenitentiarum et Theologalem accurate pleneque munera sua implent.

*V. An parochi in suis Parochiis resideant?*

Ad V<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident nec ulli licet sine nostra licentia per plures dies abesse, pro quo casu iste, data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet, eumque nobis designare.

*VI. An librum Matrimoniorum et Baptizatorum et alios libros, quos ad Normam [!] Ritualis Romani retinere debent, retineant?*

Ad VI<sup>lum</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis casu ab heredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Major parochorum pars propter plebis numerum vel parochiae ambitum uno cooperatore, alii etiam pluribus indigent, alii propter infirmitatem vel senium cooperantis adiutorio utuntur.

*VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant verbis salutaribus?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipse incitentur, sed Decani etiam sollicite desuper invigilare teneantur. Adjutores autem et juniores sacerdotes ad finem anni et catecheses et conciones diligenter elaboratas scripto ad Consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi stricte censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem dominicis et aliis festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad IX<sup>num</sup>: Parochi vel iis legitime impeditis eorum capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scholis publicis pueros et puellas in Religionis scientia instruere et examinare, et insuper etiam in scholis festivis, quas pueri et puellae a XIII. aetatis anno usque ad XVIII. annum frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita ut ex hac parte doctrina christiana frequentius tractatur, quam alias solitum fuerat. Injunctum est praeterea parochis, ut in diebus dominicis loco homiliarum vel concionum, catechetica instructionem secundum ordinem Catechismi Romani tradant et prosequantur, ita ut etiam adulti in cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur: hanc instructionem autem modo adultis magis conveniente, id est ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore quadragesimae a Parochis specialiter innupti et innuptae super sacramenta Confessionis et Eucharistiae, super necessarios fidei articulos, super officia cujusque status et cetera seperatis hebdomadis diebus diligentissime in

quaque Parochia instruuntur ac examinantur. Quod ut diligentius, secundum cuiusvis indigentiam, praestari possit, statutis diebus, eisque non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli Parochi ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad X<sup>mum</sup>: Omnes parochi juxta praescriptum applicent, exceptis tamen iis cooperantibus, qui sacra facere debent in Ecclesia filiali, cum parochus pro tota parochia applicet.

*XI. An et quae praemittantur antequam quis ad Tonsuram et Ordines minores admittatur, et an sacris Ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad XI<sup>mum</sup>: Ad primam Tonsuram vel Ordines minores admittendi afferre debent testimonium baptismatis atque confirmationis unacum studiorum testimoniis ac etiam testimonium morum a proprio parochi; dein sicut et ceteris ordinibus initiandi subire debent examinem [!] rigorosum, vel in plono [!] consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinantibus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia Ordinationi in hujus loci seminario praemittuntur.

*XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?*

Ad XII: Habitus clericalis et decens, unacum tonsura clericis et Presbyteris dignus cunctis stricte inculcatur et etiam defertur, perpaucis tantum aliquo modo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu Casuum conscientiae etiamque sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad XIII<sup>tium</sup>: Hae Conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt. Existimo magnam distantiam Parochiarum a Sede Decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod neo-ordinati Presbyteri curaeque animarum exponendi pro cura non nisi ad annum approbentur, et antequam id elabatur, novum

examen apud constitutum Examinatorem subire coguntur, aliquae quaestiones etiam scriptae solvendae sunt, quae unacum Examinatoris iudicio ad nos mitti debent. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio secunda vice non nisi ad biennium datur approbatio, quo elapso examen iterare eodem modo coguntur; dein post triennium et tandem post quinquennium, ultra quod nullus approbari solet, nisi sit probatae scientiae et stabili beneficio provisos. Ita fit, ut quisquis studia diligenter persequi cogatur; quae autem de hac re sacra Congregatio rescripsit, simulac possibile erit, exsequi studebo.

*XIV. Quinam sint mores Cleri saecularis, et an aliquot in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad XIV<sup>to</sup>: Longe major pars Cleri confirmat opere, quod praedicat. Cum vero post saecularisationem per 23 et ultra annos nec seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, mirandum non sit, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast, Deo adjuvante, mundabitur area, aliis paterna correctione, aliis severiori disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia, praesertim autem institutione aptissima in Seminario episcopali recepta a lapsu cohibitis.

§ IV.

*De quarto relationis capite ad Clerum regularem pertinente.*

Omnia Monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere. Quae hic de iis referri possent, jam supra § I de Ecclesiae statu quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt memorata.

§ V.

*De quinto relationis capite ad Moniales pertinente.*

Parimodo Monialium claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabilia supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata. In omnibus Monasteriis Virginum Anglicarum, in Monasteriis sororum pauperum, scholas puellarum curantium, et in conventu sororum misericordiae, secundum regulam s. Vincentii de Paula viventium, statuta rite servantur et clausura simul, in quantum ab horum ordinum regulis praescribitur, tenetur. Confessarius ordinarius earum nec non extraordinarius a me assignatus est.

Visitavi jam saepius, nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo majora quotidie capit incrementa.

§ VI.

*De sexto relationis capite ad Seminarium spectante.*

*I. Quot sint in Seminario Alumni?*

Ad I<sup>mum</sup>: In Seminario Clericorum circa 69, in Seminario puerorum 197 Alumni aluntur.

*II. An ecclesiastica disciplina recte instituatur?*

Ad II<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos Seminarii antistites et rectores.

*III. Quibus studiis vacent?*

Ad III<sup>tium</sup>: Repetuntur inprimis omnes principaliores theologiae partes, quas Alumni in publico Lyceo audierunt, ita ut vel neglecta suppleantur, vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Liturgiae et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

*IV. An Cathedrali et aliis loci[s] Ecclesiis diebus festis inserviant?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Omnibus diebus alumni majoris Seminarii chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, Concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

*V. An cum consilio duorum Canoniorum seniorum a me electorum necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad V<sup>tum</sup>: Statui cum consilio totius Capituli Ecclesiae Cathedralis.

*VI. An illud aliquando visitem et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones Seminarii clericorum et puerorum strictissime observentur.

*VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur et an aliqui morosi in ejus solutione?*



Ad VII<sup>mum</sup>: Hanc taxam, ubi ex antiquo tempore constituta est, clerici exacte solvunt, sed cum haec taxa minimi momenti sit, universus paene Clerus Dioeceseos precibus, admonitionibus et postulationibus meis evocatus secundum praecepta sacrosancti Concilii Tridentini Seminariis clericorum et puerorum collectis convenientibus laudabiliter et large subvenit.

## § VII.

*De septimo relationis capite ad Ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.*

*I. An in sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et Anniversariorum?*

Ad I<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabellae vel in sacristiis vel in archivo parochiali.

*II. An in confraternitatibus, scolis aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta?*

Ad II<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si sint anniversaria, Episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera exacte implere parochis gravissime injungitur, nec ab ulla confraternitate vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi fundatoris valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationes ab horum locorum administrationibus?*

Ad III<sup>tium</sup>: Ut supradictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta patriae leges, soli brachio saeculari et Magistratibus incumbit.

*IV. An montem pietatis etc.*

*V. An infirmorum hospitalia visitaverim et redituum rationes exegerim etc.?*

Ad IV. et V<sup>tum</sup>: Ut dictum, in redituum et administrationis ratione istae Communitates et montes pietatis magistratibus solis subjecta sunt.

## § VIII.

*De octavo relationis capite ad populum pertinente.*

*I. Quinam sunt populi mores et an pietate proficiat?*

Ad I<sup>mum</sup>: Negari non potest, populi mores vel legum indulgentia vel maxime bellorum praeteritorum exemplis pravis et hoc tempore spiritu seditionis et subversionis praecipue in civitatibus in multis fuisse corruptos. Ast populus maxime antiquae Patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret: etsi Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarium digni, pietate, scientia praediti sacerdotes instituantur, sperari potest, Deo auxiliante, meliorem morum statum revocandum fore. De cetero omne studium et operam in his et aliis omnibus, quae ad officium meum spectant, impendere non omittam, atque Deo **adjuvante** confisus, nisi omnia religionis et societatis vincula dirumpantur, spero, castigiores mores restabiliendos fore.

Inprimis clerus et populus hujus Dioeceseos ultimis elapsis annis, in quibus in Germania ubique seditiones et tumultus adversus auctoritatem publicam erumpebant, omni laude dignissimum se exhibuit. Nam clerus morum probitate et gravitate, obedientia et reverentia erga ecclesiasticas leges et auctoritatem ecclesiasticam excellens ab omnibus insidiis et perturbationibus adversus civilem ac ecclesiasticam auctoritatem tunc comparatis ita omnino abstinuit, ut nec unus ex ordine clericorum hujus Dioeceseos ob talem causam puniendus vel corrigendus existeret.

Populus autem non minus ita pie honesteque se gessit, ut nec secta detestabilis Rongeanorum apud illum aditum aliquem sibi patefacere, nec ullus conventus politico-democraticus ne in uno quidem loco se constituere possit.

Quinimmo tunc temporis sicut et nunc populus Dioeceseos pro piis operibus et splendore ecclesiarum magna et multa munera obtulit et Seminario puerorum, quod adjuvante Deo suscepto Dioeceseos regimine institui, ita largiter donis et oblationibus subvenit, ut anno currente circa trecentos pueros et juvenes in Seminario alere et educare possim.

Civitas autem Passaviensis, in qua sedes Episcopalis est, ita tranquillitatem, ordinem, reverentiam et obedientiam erga publicas auctoritates tam civiles quam ecclesiasticas conservavit, ut nec minima vel die vel nocte in illa perturbatio erumperet, et quantum scio, haec paene unica major civitas in Germania est, quae nullis turbis politicis obstringebatur.

Quare Rex noster Maximilianus II., cum hanc partem Regni sui visitaret, ob hunc rerum statum valde laetatus mihi ipsi dixit: „Se nunc expertum habere, catholicam

religionem certissimum esse pignus fidei subditorum erga personam suam Regiam. Si unquam res male evenirent, Passavii residere sibi proposuisse et illo tempore, cum ubique magnae perturbationes exorirentur, jam in eo fuisse, ut propositum hoc perageret.”

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae consilio et adiutorio Sedis Apostolicae indigeat?*

Ad II<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo, custodiente Deo in hac Ecclesia seu Dioecesi irrepsit.

§ IX.

*De ultimo relationis capite ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennialium et quinquennialium praesertim mihi benignissime impertiri dignatus est, ut ad regendam confisam Dioecesim sufficientes mihi videantur.

Qua propter importunum judico, Sanctissimum Patrem pro ampliandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

Quoniam autem Ecclesiae navis novis identidem procellis impetitur, si quae novae facultates ad regimen Ecclesiae requirentur, humillimas preces pro rerum circumstantiis adhibebo, atque de Summi Pontificis innata clementia confido.

**Paen**ultimam meam relationem anno 1853 ipse Romam attuli Sacra SS. Apostolorum limina personaliter visitans, quod et jam 1844 simili modo feci.

Hoc anno autem quam maximis laboribus, curis et operis pro salute Dioeceseos Passaviensis impeditus, quominus ego ipse hanc relationem Romam afferam et Apostolorum limina personaliter visitem, humillime deprecor, ut ob praedicta impedimenta per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a personali visitatione Sacrorum SS. Apostolorum liminum pro hac vice absolvar et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.

Ad hoc munus explendum **Domino Car. Ludovico Fausti<sup>98</sup> Notario Apostolico et Procuratori apud Sanctam Sedem Romae versanti** speciale mandatum dedi.

Ceterum spero, Dei spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et Sacri Concilii interpretibus, ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverendissime exosculor, meam erga Ecclesiam Romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adjutorio confisus, iterate promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo, ac me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii interpretum

Passavii die VII Decembris 1861

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

## 1865

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes, ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita. A. D. 1865.

§ I.

*De primo Relationis Capite.*

*De statu Ecclesiae Passaviensi materiali.*

Sedes episcopalis Passaviensis ortum ducit a seculo octavo i. e. anno 737, cum devastata ab Hunnis civitate Laureacensi, quae erat sedes Episcopalis, Episcopus

---

<sup>98</sup> Zum römischen Cavaliere Ludovico Fausti: Herman H. Schwedt, Prosopographie von Römischer Inquisition und Indexkongregation 1814-1917, A-K, Paderborn u. a. 2005, 561f. – Car. muss wohl Cav. heißen.

Vivilo vel Wulfilo nomine unacum Clero Passavium confugisset, ibique a Bojorum duce Odilone liberalissime exceptus fuisset. Extenderant se fines Dioecesis Laureacensis a Norico, cujus quidem pars haud exigua, ad ipsam quoque pertinebat, usque in Pannoniam et Meroviam [!], quarum regionum populi usque ad adventum S. Bonifacii quoad pastorale munus tunc temporis a Sede Passaviensi dependebant. S. Bonifacius autem qua legatus apostolicus meridionalem ac occidentalem partem novis creatis Episcopis submitit, quibus novas Sedes nempe Salisburgum, Frisingam & Ratisbonam assignavit.

Latissime tamen Dioecesis Laureaco-Passaviensis se extendit, cum Meroviam [!] & partem Pannoniae includeret, usque dum ad fidem [!] saeculi noni & initium decimi sub Episcopo Passaviensi Richardo Moravia proprios Episcopos obtinuit. Tandem sub Episcopo nomine Christiano, qui ab anno 991 usque ad annum 1013 Ecclesiam Passaviensem gubernavit, etiam in Pannonia sive Hungaria sub Stephano I. Rege, Summo Pontifice sic disponente, duo Archiepiscopatus fundati fuere & anno 1474 vel 1480 etiam altera pars Dioeceseos ad Orientem versus per foundationem episcopalis sedis Viennensis in Austria abrupta fuit, ita tamen ut ad ultima usque tempora etiam Vicarius Generalis ab Episcopo Passaviensi constitutus, Viennae resideret, qui partem Dioeceseos, quae inter Viennam & Lincium remansit sub nomine Dioecesis Passaviensis infra Anasum, fluvium Austriae superioris, administraret, atque Viennae in Ecclesia B. V. M. ad ripam seu ad scalas munera pontificalia exerceret. De hac parte tamen 1722 aliquid adhuc, nempe pars, quae vocatur silvae Viennensis, cum Archiepiscopatu Viennensi unita fuit.

Maxima autem distractio hujus antiquissimae Dioecesis facta est sub Imperio Josephi II. Austriaci, Romani Imperatoris, qui defuncto 1783 Episcopo Passaviensi & Principe Cardinali de Firmian omnes ditionis suae Ecclesias ab episcopalis Ecclesiae Auctoritate avulsit, atque Lincii civitate in Austria superiori sita, novam episcopalem sedem pro suis subditis erectam esse voluit.

Hoc vero tam strenue prosecutus est dictus Imperator, ut omnes redditus ex bonis, quae Princeps Episcopus Passaviensis in Austriacis terris possidebat, quique omnes alios proventus ex propriis Principatus & Episcopatus bonis superabant, ab eo temporis momento retineret, donec Princeps Episcopus Comes de Auersberg, Cardinalis de Firmian Successor, petitionibus Imperatoris unacum Capitulo consentiens pro dotatione novi Linciensis Episcopatus 400,000 florenorum in numerata pecunia numeraret.

Quamquam haec omnia florentem hanc antiquissimam Ecclesiam maxime deprimerent, majora tamen divina sic sapientia disponente ei reservata fuerunt detrimenta.

Annus saecularisationis 1802 evertit non tantum, quae a mundo pretio habentur /: oblata thesauri Ecclesiae, pretiosa ad cultum utensilia & ornamenta direpta & dispersa :, sed etiam anniversaria quam plurima ita suppressa fuerunt, ut nullum reclamationis pondus ea reviviscere hucusque valeret, sed quod maxime etiam ex manifestis rationibus plangendum, Episcopus & Princeps Leopoldus de Thun, vexationibus multis impeditus, Apostolica Sede annuente, retento Episcopatu in propriam possessionem, in regno Bohemiae coemptam, secessit, ibi per annos 23 commoratus anno 1826 die 22. Octobris obiit.

Huic successit in Episcopatu Carolus Josephus de Riccabona, qui nominatus a Ludovico I Rege Bavariae, confirmatus a. p. m. Papa Leone XII. in Consistorio sub 9. Aprilis 1827, consecratus 25. Aprilis ejusdem anni.

Defuncto Episcopo Carolo Josepho die 25. Maji 1839 ego indignus & immeritus a Ludovico I. Rege Bavariae in vacantis Ecclesiae Passaviensis Episcopum nominatus, a Sanctitate Sua p. m. beatissimo Papa Gregorio XVI. in Consistorio sub 23. Decembris 1839 habito promotus & confirmatus & 25. Februarii 1840 consecratus fui & 17. Martii ejusdem anni Ecclesiae Passaviensis regimen, spe divini auxilii fretus, ingressum sum.

## *II. Confinia.*

Ad II<sup>dum</sup>: Ecclesia Passaviensis post tot discrimina rerum tandem per Concordatum inter Sanctissimum Dominum p. m. Pium VII. Pont. Max. & Maximilianum Josephum Regem Bavariae, initum fixos obtinuit limites, firmioremque, ut in Domino speramus, existentiam, nam omnipotens Deus, qui restituit eam, & confirmabit.

Cum limites Dioecesis in Bulla Circumscriptionis Dioecesium Bavariae, quae incipit „Dei ac Domini nostri” accurate describantur, supervacuum videtur, eos hic singulatim adducere. Observare tamen juvabit, Parochias Ainring, Anger, Tridorfing [!], Innzell, Kay, Laufen, Marzell, Otting, Palling, Petting, Reichenhall, **Surberg**, **Salzburghofen**, **Teisendorf**, **Tittmoning**, Waging & S. Zenonis, quae ad Archidioecesis Salisburgensem pertinebant & in Bulla Circumscriptionis de dato 8. Septembris 1821 Dioecesi Passaviensi, quacum ne minime quidem contiguae erant, adscriptae inveniuntur, cum Archidioecesi Monaco-Frisingensi unitas, ac illarum vice

Parochias Burghausen, Burgkirchen ad Alzam, Burgkirchen ad silvam, Feichten cum Vicariatibus s. Crucis & Tyrlaching, Halsbach, Reitenhaslach, Veteroettinga, Alzgern, Kastl, Neo-oettinga, Perach, Pleiskirchen, Reit, Reischach, Stammham, Unterneukirchen, Winhoering cum Beneficiis Heiligenstadt & Tissing, Klebing, Marktl, Taubenbach & Wald Dioecesi Passaviensi, utpote illi proxime adjacentes & contiguas assignatas esse, quo facto circumscriptio Dioecesis Passaviensis a s. Apostolica Nuntiatura Monachii 8. Decembris 1822 modo definitivo facta & declarata fuit.

Generatim vero sequentium Dioecesium confinia attingit, nempe ad Orientem Dioecesim Linciensem in Austria; ad Meridiem Dioecesim Linciensem & Monaco-Frisingensem; ad Occidentem eandem Monaco-Frisingensem & Ratisbonensem; ad Aquilonem Dioecesim Budvicensem in Bohemia.

### *III. Privilegia & Praerogativa Episcopatus.*

Ad III<sup>tium</sup>: Episcopi Laureaco-Passavienses antiquis temporibus saepe archiepiscoporum titulo usi, et quidem Pallio ab Apostolica Sede condecorati fuerunt. Episcopus Christianus nomine, qui ab anno 991 usque ad 1013 Ecclesiae praefuit, ut supra diximus, primus Archiepiscopi titulum dimisisse dicitur, cum pars Dioeceseos, erectis in Hungaria duobus Archiepiscopatibus abrepta fuisset.

Hujus tituli loco ab Ottone III. Romano Imperatore saeculare Dominium super Passavium obtinuit, uti narrat historia. Cum variae dissensiones inter Salisburgensem & Passaviensem Ecclesiam propter Praecedentiam exortae fuissent, anno demum 1728 Ecclesia Passaviensis sub Episcopo Cardinali Josepho Dominico e Comitibus de Lamberg a Summo Pontifice ut exempta, immediateque S. R. Sedi subjecta fuit declarata; quod & inito novissimo Concordato, dum Episcopus & Princeps Leopoldus de Thun viveret, perduravit. Vi Concordati autem nunc a Sede Metropolitana Monaco-Frisingensi dependet.

### *IV. Numerus Civitatum, oppidorum & locorum, qui Episcopatus subjecta sunt.*

Ad IV<sup>tum</sup>: Angustior est multis Germaniae Dioecesibus haec Dioecesis Passaviensis, & quidem ex rationibus super allatis. Non numerat nisi 289669 Catholicos; civitates easque non amplas, non nisi 8 numerat, nempe Passavium, Burghausen, Grafenau, Landau, Neuoetting, Osterhofen, **Pfarrkirchen** & Vilshofen. Cetera in Bulla

Circumscriptionis latissime describuntur, ac quaedam sub Num. 7 hujus paragraphi enarrabuntur.

*V. Status Ecclesiae Cathedralis.*

Ad <sup>tu</sup>m: Ecclesia Cathedralis optime conservata Deo sacra est sub titulo S. Stephani Protomartyris. Aedificium, quamvis Sacrarium exterius referat architecturam Gothicam, interius est architecturae Romanae, & quidem pulcherrimae, ita ut inter omnes Cathedrales Bavariae in hoc stylo dici mereatur excellens, & Archiepiscopo Monaco-Frisingensi suffraganea est.

Capitulum, ut Concordatum novissimum exhibet, duas numerat dignitates, nempe Praepositum & Decanum cum octo Canonicis & sex Vicariis, & recuperato nunc partim prisco Ecclesiae Cathedralis fundo tres etiam sustentat Capellanos, qui Canonico Ecclesiae Cathedralis parcho in animarum cura sunt adjutorio. Onera fundo Ecclesiae Cathedralis infixae accurate implentur. Fons baptismalis in Ecclesia ipsa existit, asservantur etiam insignes Reliquiae, praesertim S. Maximiliani Episcopi **Laureacensis** & Martyris; S. Valentini Episc. Conf., qui Passavii ex mandato S. Leonis Papae verbum Dei praedicavit ad medium saeculi quinti; sed ab incolis partim ethnicis partim Arianis, ad nostram confusionem sit dictum, finibus eorum expulsus fuit; tandem S. Corbiniani Episc. Confessoris, qui saeculo octavo pietate & indefessis apostolicis laboribus floruit.

Adsunt necessaria etsi non numerosa nec tam splendida ut olim supellectilia, tam ad divina celebranda quam ad Pontificalia exercenda.

Chorus tria organa sat splendida habet, & duo Campanilia cum campanis ornant Ecclesiam; Coemeterium vero extra suburbium ad dimidium horae spatium existit, muro munitum & clausum, juxta quod Ecclesia antiquissima S. Severini, hujus loci Apostolo celeberrimo dicata conspicitur. Redditi fabricae quoad necessarium sufficiunt. Munera summi Custodis unus ex Canonicis gerit; pro officio autem Theologi & Poenitentiarum duo Canonici a me constituti sunt, quorum unusquisque habet peculiarem suam & sufficientem praebendam. Omnes Dignitarii & Canonici in regenda Dioecesi sunt mihi a Consiliis. Omnia in plena Consilii sessione deliberantur, cui ipse praesideo. Constitutus est etiam a me Vicarius Generalis, qui & Expeditiones ordinarias subscribit, & unus ex Canonicis Cancellariae Directoris munus gerit. Pro causis matrimonialibus consilium separatum sub nomine Consistorii constitui, cui



Canonicus ut officiales praeest, & duo ex Canonicis ut Consilarii cum voto decisivo assistunt.

*VI. Status Ecclesiarum collegiatarum.*

Ad VI<sup>lum</sup>: Ecclesias collegiatas omnes annus fatalis 1802 extinxit. In praesentibus Dioeceseos limitibus non nisi exstiterunt, nempe Vilshofii & Veteroettingae, quae anno praefato omnino sunt sublatae.

*VII. Status & numerus Ecclesiarum parochialium necnon & aliarum Ecclesiarum & Oratoriorum.*

Ad VII<sup>mum</sup>: Status animarum catholicam Religionem profitentium & ad hanc Dioecesim pertinentium ascendit ad numerum, ut supra Num. IV. indicavi<sup>99</sup>.

Parochiae numerantur .....	150
Expositurae & Curatae .....	36
Parochi .....	137
Expositi & Curati .....	30
Beneficia stabilia .....	56
Beneficia cum parochia vel Cooperatura vel Expositura unita .....	7
Beneficiati .....	56
Capellani seu Parochorum Cooperatores & Coadjutores .....	246
Ceteri Presbyteri vel senes vel infirmi tamen voluntarie in animarum cura se occupantes .....	10
Professores .....	12
Commorantes .....	20
Monachi in monasteriis neoerectis cum ceteris monasteriorum anno 1802 suppressorum Exreligiosis .....	45
Presbyterorum Summa exopto Capituli gremio & Vicariis .....	563.

*VIII. Numerus Monasteriorum tam virorum quam mulierum.*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Depopulatis anno 1802 omnibus virorum & mulierum Monasteriis & diversi Ordinis Praelaturis in praesentibus Dioeceseos limitibus ex iis perierunt:

Mendicantium monasteria & hospitia nempe Franciscanorum & Capucinatorum ..... 7

<sup>99</sup> Vgl. dazu und zum Folgenden: Schematismus Bistum Passau 1866, 146-151.

Praelaturae Canonorum regularium, Benedictinorum, Praemonstratensium & Cistercensium .....	8
Monasteria Virginum .....	3
.....	18.

Restauratae fuerunt paucis abhinc annis tres communitates Ordinis Capucinorum, nempe Burghusii ad Salzam, Veteroettingae & Neo-oettingae, quarum fratribus & sacerdotibus non solum licet Eleemosynas oblatas accipere, sed etiam secundum Ordinis regulam eas apud fideles colligere.

Hi tres Conventus numerant:

Veteroettingae,

Patres .....	10
--------------	----

Fratres laici .....	16
---------------------	----

Neo-oettingae

Patres .....	4
--------------	---

Fratres laici .....	4
---------------------	---

Burghusii

Patres .....	7
--------------	---

Fratres laici .....	6
---------------------	---

..... In Summa 21 Patres & 25 Fratres laici.

Favente Deo Veteroettingae etiam domum Congregationis Ss. Redemptoris juxta regulam S. Alphonsi a Liguorio anno 1841 institui, quamvis maxima impedimenta objiciebantur. Fructibus spiritualibus hujus Congregationis non solum Dioeceseos Passaviensis, sed etiam omnes adjacentes Dioeceses quam maxime gaudent.

Sufficientem dotationem huic domui religiosae curavi.

Numerat haec domus:

Patres professos .....	26
------------------------	----

Fratres laicos professos .....	11
--------------------------------	----

..... In Summa 37.

Patres hujus domus a regimine regio nullo modo impediuntur, in muneribus suis ab eo omnimodo agnoscuntur, redditus amplissimae dotationis domus Congregationis sine diminutione accipiunt, novitiatum & studia propria habent, novitii & studentes libere admittuntur.

Tres conventus Capucinatorum Burghusii, Veteroettingae & Neo-oettingae & domus Congregationis Ss. Redemptoris Veteroettingae quoad exercendam curam & cetera spiritualia officia erga fideles subjacent jurisdictioni episcopali.

Restitutae existunt duae communitates Virginum anglicarum Constitutionem Mariae Ward sequentium Burghusii & Veteroettingae, restitutis ipsis possessionibus, quibus prius fruebantur. Tertia hujusmodi communitas Passavii erecta & partim fundata est ab antecessore meo Episcopo Carolo Josepho.

Aliae hujusmodi communitates mea opera institutae sunt in parochia ad S. Severinum & in parochia an S. Bartholomaeum hic Passavii, et in Parochiis Neo-oettingae, Osterhofen, Pfarrkirchen, Hengersberg, Landavii, Aigen, Schoenberg, Kirchberg in silva, Aicha in silva /: Fürstenstein :/, **Karpfham, Triftern & Bischofsmais, Zwisel.**

Inserviunt hae Virgines instructioni ac educationi puellarum cum maximo religionis fructu & subjacent Episcopo; quoad Oeconomica autem Virgines ipsae quidem eadem administrant, subsunt vero in his superinspektioni regiminis regii.

Morantur in hisce conventibus:

Veteroettingae:

Virgines ..... 38

Sores ..... 29

Osterhofen:

Virgines ..... 19

Sores ..... 16

Pfarrkirchen:

Virgines ..... 5

Sores ..... 2

Hengersberg:

Virgines ..... 4

Sores ..... 1

Burghusii:

Virgines ..... 18

Sores ..... 13

Landavii:

Virgines ..... 5

Sores ..... 5

## Neohusii ad Oenum:

Virgines ..... 13

Sorores ..... 7

## Aigenii:

Virgines ..... 3

Sorores ..... 1

## Neo-oettingae:

Virgines ..... 9

Sorores ..... 4

## Schoenberg:

Virgines ..... 3

Sorores ..... 1

## Fürstenstein:

Virgines ..... 3

Sorores ..... 2

## Karpfham:

Virgines ..... 3

Sorores ..... 1

## Triftern:

Virgines ..... 4

Sorores ..... 1

## Bischofsmais:

Virgines ..... 2

Sorores ..... 1

## Zwisel:

Virgines ..... 5

Sorores ..... 1

## Kirchberg:

Virgines ..... 2

Sorores ..... 1

## in parochia Ecclesiae Cathedralis ad S. Stephanum:

Virgines ..... 36

Sorores ..... 24

## in Parochia ad S. Severinum:

Virgines .....	6
Sorores .....	1
in parochia ad S. Bartholomaeum:	
Virgines .....	2
Sorores .....	2
..... In Summa 283.	
Duae domus Virginum sub titulo „Sorores pauperes scholas puellarum curantes”:	
Aidenbacii: Sorores .....	3
Regenii: Sorores .....	3
..... In Summa 6.	
Per multos annos me & operam quam maximam dante tandem pro cura in hospicio publico versantium aegrotorum institutus est conventus ex Congregatione Virginum Sororum Misericordiae secundum regulam S. Vincentii de Paula	
Passavii, qui numerat Sorores .....	6
Burghusii .....	3
Landavii .....	3
Hengersbergii .....	3
Obergriesbacii .....	3
Veteroetingae .....	3
..... In Summa 21.	

#### *IX. An adsit in Dioecesi Seminarium clericorum?*

Ad IX<sup>num</sup>: Adest Seminarium clericorum.

Cum munus episcopale suscepturus anno 1840 Passavium adirem, Seminarium clericorum tantummodo pro quindecim alumnis institutum i[n]veni. Sed cum talimodo legibus ecclesiasticis circa hanc rem & bono ecclesiastico satisfieri non posset, operam dedi quam maximam, ut hac in parte impedimenta melioris ecclesiasticae disciplinae tollerentur.

Adjuvante Deo nunc post **viginti quinque** annos in eo sum, ut tres domos quam maximas Passavii acquisiverim, quae omnibus necessariis optima instructae sunt, et circa trecentos alumnos commode suscipere possunt. Anno currente versantur **274** alumni in his domibus.

Secundum praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae juvenes, qui ad sacros ordines aspirant, a teneris annis in his domibus spiritualibus recipiuntur, et in disciplinis erudiuntur ecclesiasticis.

Exstat igitur in praesenti Passavii Seminarium clericorum puerorum juxta praecepta sacrosanctae Synodi Tridentinae sensu strictissimo.

Sustentantur juvenes & pueri in hisce domibus recepti partim ex dotatione jam prius fundata, partim per dotationem firmam ex mensa mea episcopali subministrandam, partim ex collectis secundum normam sacrosanctae Synodi Tridentinae a Clero praestandis, partim ex eleemosynis, quas populus fidelis de precibus meis largitur.

*X. Numerus Hospitalium, Collegiorum Confraternitatum, quae sunt in Episcopatu.*

Ad X<sup>mum</sup>: Quaelibet civitas habet hospitale, etiamque in oppidis inveniuntur. Eorum vero calculus & directio Magistratibus & Communitatibus commissa sunt, ita ut de eorum redditibus nihil Episcopo communicetur.

Confraternitates vix non in omni paroc[h]ia existunt ac multum ad religionem promovendam pauperesque quandoque Ecclesias sustentandas conferunt; earum redditus autem, qui maximopere ex oblationibus sodalium proveniunt, a communitate unacum parochio jux[t]a Bavariae constitutionem administrantur. In omnibus paene parochiis totius Dioeceseos me instante a parochis sodalitates pie virginum & juvenum ad conservandos bonos mores institutae sunt.

Passavii associationem piam operariorum ad vitam honeste moderandam erexi, cui praecipue mea largitione subvenitur. Hujusmodi associationes adhuc erectae sunt **novem** in parochiis aliis.

*XI. An adsint montes Pietatis?*

Ad XI<sup>mum</sup>: Mons Pietatis unice Passavii existit, isque magistratui & gubernio subest, nec unquam ad Ecclesiam Cathedralem pertinuit.

§ II.

*De secundo relationis Capite ad meipsum pertinente.*

*I. An residentiae praeceptum impleverim?*

Ad primum: Residentiae praeceptum semper stricte implevi.

*II. An & quoties Dioecesim visitaverim?*

Ad II<sup>dum</sup>: Primum Dioecesim generaliter visitavi [!], tunc visitationem canonicam & specialem institui, ita ut nunc omnes parochias & curatias cum ecclesiis & sacellis suis etiam minimis [!] in tota Dioecesi visitaverim. In omnibus ecclesiis parochialibus & curatis in huc [!] visitatione sanctissimum Missae sacrificium obtuli & verbum divinum ad erudiendum populum praedicavi.

Hanc visitationem specialem & canonicam omnino in tota Dioecesi absolvi in mense Augusti anni elapsi 1850.

Tertiam visitationem Dioeceseos anno 1853 institui & annis sequentibus prosecutus sum.

*III. An per me vel alium Episcopum sacras Ordinationes expleverim & Confirmationis Sacramentum administraverim?*

Ad III<sup>ium</sup>: Ordinationes sacras semper per meipsum explevi, & Confirmationis Sacramentum diligentissime semper ita administravi, ut quolibet biennio omnes fideles Dioeceseos, qui confirmandi sunt, confirmati fuerint.

*IV. An & quoties Synodum coegerim?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Synodum usque ad annum 1849 non coegi, quia Synodi indictio propter varias circumstantias in nostra regione hucusque tantis difficultatibus obnoxia erat, ut istae superari non possent.

In administranda Dioecesi autem Capitulum Ecclesiae Cathedralis mihi omnino a consiliis servit.

Anno 1849 vero, ut etiam in hac parte muneri episcopali satisfacerem, Synodum cogendam indixi. Jamque decreta de Synodo cogenda universo clero totius Dioeceseos insinuata erant, cum per Nuntiaturam Apostolicam literas a Sancta Sede ad Episcopos Bavariae directas acciperem, quae propter tempora nimis exagitata & nisi Synodis provincia[li]bus praemissis Synodas non esse compellendas constituerent.

Et revera hae literae Apostolicae Ecclesiae bono in Germania in hisce rerum circumstantiis optime consuluerunt, et magna detrimenta averterunt. Synodum indictam sine mora renuntiavi.

*V. An verbum Dei per meipsum praedicaverim an per alios viros idoneos?*

Ad V<sup>tum</sup>: Verbum Dei per meipsum diligentissime praedico tam in Ecclesia Cathedrali ingenti multitudine fidelium confluente, quam in ecclesiis ruralibus occasione visitationum & administrationis sancti Sacramenti Confirmationis. In Ecclesia Cathedrali verbum divinum in omnibus diebus festis praedico.

*VI. An habeam Depositorio poenarum & mulctarum pecuniarium, & an eaedem piis usibus fuerint adplicatae?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Episcopo juxta leges civiles hic loci mulctas pecuniarias sensu stricto indicare non licet, quare nihil de his dicendum.

VII. Quenam Taxa & an Innocentiana observetur?

Ad VII<sup>mum</sup>: Observatur in cancellaria episcopali taxa moderatissima juxta antiquam observantiam. Ex antiqua conventionem cum Ducibus Bavariae unita mortuarium etiam a quolibet praebendato sacerdote sub titulo portionis canonicae percipitur, ita ut a Massa deductis expensis & legatis a facultate paterna quinque **per** centum persolvantur.

*VIII. An aliquid habeam, quod mihi obstet circa exercitium episcopalis officii & jurisdictionis ecclesiasticae, necnon libertatis Ecclesiarum tuendae?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Maxima impedimenta circa exercitium episcopalis officii apud nos in Bavaria sunt moderna, constitutionalis illa legislatio, insuper & protestantismus atque indifferentismus, & hoc tempore spiritus malignus seductionis & subversionis, qui omne bonum perdere conatur.

*IX. An aliquod pium opus peregerim pro Ecclesia, pro populo, pro clero?*

Ad IX.: Si a Superiori evocatum de se loqui decet, haec pauca sunt, quae Deo adjuvante complevi.

Domus Congregationis Sanctissimi Redemptoris Veteroettingae cum sufficienti dotatione me curante instituta est.

Seminarium puerorum juxta praeceptum ss. Synodi Tridentinae cum tribus magnis domibus erexi, ita ut nunc circa ... alumni in hoc Seminarium recipiantur.

Ecclesiam Cathedralem injuria temporum valde perditam splendidissime restauravi. Altare majus in Ecclesia Cathedrali recens ex cupro inaurato Stylo Romano magnificentissime extruxi.



Ecclesiam aliam Cathedrali Ecclesiae junctam, sed vetustate depravatam, omnino restauravi & in ea viam crucis in tabulis magnis & artificiose celatis erexi.

Alias duas capellas Ecclesiae Cathedralis contiguas restitui.

Ecclesiam ad Ss. Salvatorem Passavii tempore saecularisationis devastatam & venditam recuperavi & restorationi ejus mille florenorum ex meis facultatibus impendi.

In domo episcopali ex meis facultatibus pulcherrimam capellam exstruxi.

Pro ornamentis Ecclesiae Cathedralis in diebus festis ex mea pecunia quingentos florenos expendi.

Quotidie in Ecclesia Cathedrali pro fidelibus Dioeceseos incruentum sacrificium offero.

Munere praedicatoris in Cathedrali diligentissime fungor.

Omnibus diebus solemnibus Pontificalia exerceo.

Sessionibus, in quibus negotia ecclesiastica tractantur, ipse praesideo.

Magna & multa certamina, quae ad tuenda jura ecclesiastica cum A catholicis mihi subeunda fuerunt, adjuvante Deo, cum fortiter & fideliter pugnaverim, in utilitatem & honorem Ecclesiae ceciderunt.

Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis in monte prope Passavium sitam, frequentia fidelium celeberrimam, sed negligentia & vetustate deperditam, magnificentissime restauravi, ita ut auro & ornamento resple[n]deat. Quindecim mysteria Sancti Rosarii Beatissimae Virginis Mariae in tabulis magnis arte sculptili repraesentata curavi, ita ut prope Ecclesiam praefatam singula mysteria in singulis sacellis sint disposita.

Domus pro sacerdotibus saecularibus apud dictam Ecclesiam Beatae Virg. Mariae Auxiliatricis in monte sita, quae usque adhuc tantum quatuor vel quinque sacerdotes recipere potuit, ita a me amplificata & adaptata est, ut nunc circa viginti presbyteri saeculares in illa versentur, qui vitam communem degentes divino cultui in ista Ecclesia inserviunt, horas canonicas in choro communiter celebrant & ingenti multitudini ad Ecclesiam Beatae Virg. Mariae Auxiliatricis peregrinatium verbum divinum praedicant & sacramenta Confessionis & Sanctissimae Eucharistiae administrant.

In eodem monte prope Ecclesiam Beatae Virginis Mariae Auxiliatricis singularem domum pro exercitiis spiritualibus institui, ita ut presbyteris hujus Dioeceseos occasio data sit, hac recreatione spirituali deinceps per totum annum fruendi.

Ibidem aliam domum constitui pro presbyteris propter delicta corrigendis.

Alteram domum in illo loco paravi, ubi presbyteri suspensi & cura animarum privati detineantur.

Ad augendam dotationem istarum domorum clericalium dotationem eis feci in fundis, qui circa sex millia florenorum pretium habent.

Pro Seminario Alumnorum in civitate Passaviensi hortum latissimum comparavi.

Reliquias Sanctorum Ecclesiae Cathedralis tempore saecularisationis dispersas ac neglectas opere quam maximo collegi & in vasis, ut optime tueantur, dignissime composui.

Sacerdotalia indumenta pro Ecclesia Cathedrali in ordinem optimum redegei, illa adauxi & pro asservandis illis ceterisque **ecclesiasticis** ornamentis singulare & aedificium adaptavi.

Pro bibliotheca dioecesana bene atque utiliter disponenda aedem amplitudine & commoditate excellentem acquisivi.

Domum episcopalem sumptibus meis optime restauravi.

Numerosam & pretiosam collectionem picturarum, quae imagines Sanctorum repraesentant, ad capellam, quam in domo episcopali extruxi, dono dedi.

Ad exercitia spiritualia pro singulis presbyteris Dioeceseos singularem domum, ut supra dixi, constitui. Ut autem clerum [!] totius Dioeceseos quotannis majori ex parti [!] Passavii in Ecclesia Cathedrali me dirigente communiter exercitiis spiritualibus frui possit, omnia ad hunc finem circa suppellectilem, habitationem & cetera necessaria comparavi, & his sumptibus quatuor millia florenorum impendi. Tempore autumnali anno 1849 primo haec spiritualia exercitia pro clero totius Dioecesis institui. Confluxit ad hunc finem magna frequentia cleri ex tota Dioecesi & fructus exercitiorum spiritualium erant magni & valde laetabundi. Haec exercitia spiritualia pro clero totius Dioeceseos communia nunc omni anno tempore autumnali a me habentur.

Anno 1850 pro stabili fundatione Seminarii puerorum secundum normam Concilii Tridentini a me constituti, ultra magnas erogationes, quas annis prioribus dedi, dotationem triginta millium florenorum ex meis facultatibus pro futuro assignavi.

Ecclesiam Cathedralem cum sacellis & altaribus suis & sacristia restauravi splendide. In sacristia pro asservandis sacris & pretiosis vasibus ecclesiasticis duas concamerationes firmissimas construxi.

Pro officiis in Ecclesia Cathedrali praestandis optimum ordinem institui.

Mulierum ministeria, quae ad lotionem vel purgationem ecclesiae & pulsandas campanas aliasque similes res ex antiquis temporibus hic usitatae erant, haud parvo certamine omnino abrogavi. Haec ministeria nunc in Ecclesia Cathedrali a viris honestis rite atque decenter praestantur, qui in Seminariis clericalibus vitam communem gerunt.

Ad ministerium altaris, chori, musicae & cantus, sacristiae etc. tantummodo pueri & juvenes ex Seminariis clericalibus adhibentur.

A primo mane, hora quinta usque ad meridiem omni semihora secundum meam institutionem sanctissimum Missae sacrificium in Ecclesia Cathedrali honorificentissime celebratur.

Diebus dominicis & festis pro excipiendis confessionibus credentium certis horis continuo duodecim sacerdotes praesto sunt. Pro diebus feriatis haud minus caute pro bono spirituali confitentium provisum est. Diebus dominicis & festis verbum divinum primo mane, tunc serius hora quadam matutina & tertio hora vespertina praedicatur.

Precibus & admonitionibus meis commoti Canonici & Clerici choro addicti nunc matutinum, laudes & horas minores in choro recitant. Ut autem officium divinum majori dignitate totum & omnino in Ecclesia Cathedrali persolvatur, institui, ut officium divinum ab alumnis Seminarii clericalis majoris, qui sacris ordinibus proximi vel in iis jam sunt constituti, recitetur, ita ut illi se jungant choro canonicorum & choripresbyterorum & loco eorum etiam vespertas completoriumque in choro persolvant. Talimodo provisum est, ut totum officium divinum digne in choro recitetur, & circa nonaginta vel centum clerici illi intersint.

Ad majorem Dei gloriam & animarum salutem foundationem etiam [!] feci & acquisivi, ut nunc quotannis in Ecclesia Cathedrali tempore sancto majoris hebdomadis a Sabbato ante Dominicam Palmarum usque ad vespertas feriae secundae post Resurrectionem D. N. J. Chr. a duodecim presbyteris regularibus, quorum sex Congregationis Ss. Redemptoris, sex vero Ordinis fratrum minorum S. Francisci Capucinorum sunt, missio publica & solemnis, me & clero seculari civitatis Passaviensis adjuvante, pro populo habeatur. Haec missio publica in civitate Passaviensi nunc jam ab anno 1851 usque ad annum 1865 cum maximo fructu animarum quotannis est habita.

Simili modo institui, ut in regio Gymnasio & in regiis scholis latinis civitatis Passaviensis tempore Paschali exercitia spiritualia habeantur.

Pro tota autem Dioecesi institutionem feci, ut quotannis **circiter viginti quinque** in parochiis specialiter a me designatas per patres Ordinis Ss. Redemptoris, qui Veteroettingae domum habent, missiones solemnes pro populo celebrentur.

Seminaria clericalia a me condita & adaucta, eo pervenerunt, ut omnes candidati status clericalis nunc in hisce seminariis a teneris annis usque ad susceptum ordinem sacerdotalem aluntur & instruuntur.

Penuria sacerdotum, quae erat maxima, anno elapso 1852 omnino cessavit, cum per Seminaria clericalia alendis & instruendis candidatis status clericalis sufficientissime sit provisum.

Ad amplificanda Seminaria clericalia & pro rebus eorum oeconomicis suscipiendis domum quam maximam, prope Ecclesiam Cathedralem sitam, pro summa circa viginti millium florenorum /: jam soluta :/ acquisivi.

Cum dilectus meus pater anno 1852 e vita decessisset, cum matre mea testamentum judiciale feci, in quo Seminarium puerorum haeredem universalem patrimonii nostri, haud exigui, instituimus.

Mea cura & provisione in Dioecesi Passaviensi nunc eo perventum est, ut omni parocho emerito pro annua sustentatione circa sexcenti floreni, aliis vero presbyteris emeritis circa quadragenti floreni, aegrotantibus & egenis sacerdotibus autem in momentaneis angustiis versantibus sufficiens stips exhiberi possit.

Curiam episcopalem & omnem ejus suppellectilem funditus & splendide restauravi & sacris imaginibus exornavi, ita ut dignam & clericalem praebeat speciem.

Pro aerario curiae adversando concamerationem firmissimam extruxi.

Omnes qui curiae episcopali pro scripturis aliisque cancellariae ministeriis inserviunt, presbyteri sunt, qui optimis moribus excellunt, vitam communem in Seminariis clericalibus degunt, & vestimento talari utuntur, choro in Ecclesia Cathedrali quotidie intersunt & in illa curam in sacris officiis praestandis diebus dominicis festisque diligentissime exercent.

**Annis nuper elapsis** cura & diligentia mea eo perveni, ut Virgines supradictae Anglicae nunc omnes omnium puellarum scholas hujus civitatis Passaviensis susceperint. Ad hunc finem omnino perficiendum domum Ecclesiae Ss. Salvatoris adjunctam /: quae antiquis temporibus canonicis dictae Ecclesiae :/ inservivit ex meis facultatibus emi & ad scholas puellarum in hac parte civitatis Passaviensis a Virginibus Anglicis suscipiendas singulari donatione mea destinavi.

Mea opera etiam Virgines illae Anglicae pro salvandis & instruendis pauperibus & derelictis puellis domui Passavii ad hunc finem specialiter acquisitae & institutae praesunt.

In Parochiis Burghausen, Breitenberg, Bischofsmais, Hauzenberg, Marktl, Schwanenkirchen, Waldkirchen, Weng, Wollaberg, Sonnen, Landau & **Simbach ad Oenum** mea cura novae Ecclesiae parochiales curataeque exstructa [!] sunt.

Passavii ecclesiam antiquissimam S. Severini, vetustate & negligentia omnino corruptam, multis millibus florenorum pecunia mea splendidissime restauravi.

In coemeterio huic ecclesiae adjuncto pro Capitulo Ecclesiae Cathedralis Passaviensis & pro Clero Passaviensi sepulcrum commune dignissimum impensis plus quam tribus millibus florenorum ex meis pecuniis condidi.

Ad perennem memoriam dogmaticae definitionis de immaculato Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae conceptu a Sanctissimo Domino nostro Pio **Papae IX.** promulgatae monumentum singulare & eximium in civitate Passaviensi erigere constitui.

In hunc finem Ecclesiam S. Francisci magnificam ante **sexaginta duos** annos tempore saecularisationis profanatam, devastatam & venditam, ad portam principalem et in facie totius civitatis Passaviensis pulcherrime sitam, pretio circa viginti millium florenorum acquisivi & subveniente Clero & populo Passaviensis Dioeceseos anno praeterito 1864 sumptibus maximis & splendore insignis restitui & ad honorem Immaculatae Conceptionis Sanctissimae Genitricis Dei Mariae monumentum perenne & in memoriam perpetuam celeberrimae promulgationis illius sanctissimi mysterii solemnissime **dedicavi**.

Et ut haec sacra solemnitas promulgationis praefatae in civitate Passaviensi quotannis renovetur, festum novendiale institui in ecclesia Beatissimae Virginis Mariae auxiliatricis prope Passavium sita, a me splendidissime restaurata & collegio viginti sacerdotum ad divinum cultum a me instructa, singulis annis in Mense Maji summa magnificentia celebrandum. Annis elapsis haec solemnitas ingenti concursu fidelium est celebrata.

**Anno 1864 & 1865 a me tres Ecclesiae Passavii solemnissime consecratae sunt<sup>100</sup>: nempe die 21. Juni 1864 Ecclesia ad S. Joannem Baptistam, in parochia S. Ap. Pauli hic Passavii sita, quam, tertio decimo saeculo per Episcopum Mangoldum**

<sup>100</sup> Siehe dazu: Leitner (wie Anm. 1) 200-202. – Vgl. auch Maier, Hofstätter und seine Kunstschöpfungen (wie Anm. 1) 184, 201-224.

Passaviensem conditam, postquam ista incendio magno civitatis Passav. anno 1662 deleta & posterius in Stylo inepto reaedificata, sed per decursum annorum valde neglecta & depravata erat, in Stylo Gothico resta[u]ravi, ita ut ea nunc temporis magnum decus civitati Passav. sit.

Deinde a me jam supradicta Ecc[lesi]a votiva, in via Neumarkt hic Passavii sita, in honorem B<sup>mae</sup> Virg. Mariae sine labe originali conceptae cum magno concursu populi & solemnitate die 20. Augusti 1864 consecrata est. Hujus Ecclesiae architectura, decus & ornamenta ita insignia sunt, ut omnes peregrini, qui in civitatem Passaviensem ingressi hanc Ecclesiam visitant, mirati circa magnam artem & convenientia ornamenta ejusdem usquequaque laudabiliter enarrent.

Postremo die 17. Martii h. ai. Ecclesiam ad S. Spiritum, similiter in parochia S. Pauli Ap. hic Passavii sita, solemniter consecravi. Et hanc Ecclesiam ex meis facultatibus restauravi & pretiosis picturis vitro inustis & aliis artificiosis sculpturis, laetitias ac dolores Beatissimae Virginis Mariae atque triumphum D. N. Jesu Christi ejusque sanctae Ecclesiae exhibentibus, splendidissime decoravi.

De radice montis Mariae Auxiliatricis usque ad summum ejus, proxime Passavii, ex antiquo tempore ex ligno constructa est scala obtecta, quam peregrini ac civitatis Passav. inhabitantes Ecclesiam Auxiliatricis Mariae numerosi visitantes supergrediuntur. Quum haec scala obtecta propter vetustatem & alias devastantes causas ruinam minata sit, istam cum magnis sumptibus architectorie resta[u]ravi & trecentis viginti quinque lapideis gradibus stratis viam crucis in tabulis pulchris artificiose celatis erexi, ita ut plurimi Montem Mariae Auxiliatricis ascendentes praefata scala utantur & orantes & meditates devotione magna afficiantur<sup>101</sup>.

Mea cura & opera antiquissimum monasterium Damenstift prope Osterhofen tempore saecularisationis suppressum – et castellum Neuhaus & castellum Fürstenstein – quae sunt aedificia amplissima et splendida ad educandas puellas generatim et ad salvandas & instruendas pauperes derelictasque puellas specialiter pro Virginibus supradictis Anglicis acquisivi et novas domos ad eundem finem pro illis, extra jam supra enumeratas, in **Triftern, Karpfham, Zwisel, Kirchberg, Bischofsmais et Waldkirchen** procuravi.

Pro Seminariis puerorum et clericorum singulare nosocomium optime adaptatam erexi et institui.

---

<sup>101</sup> Maier, Hofstätter und seine Kunstschöpfungen (wie Anm. 1) 203.

Aedificia trium Seminariorum pro pueris ac clericis alendis et educandis ob necessitatem urgentissimam maximis sumptibus convenientissime latissimeque ampliavi.

Ad promovendam sanctissimam religionem bonosque mores colendos a Patribus ordinis Ss. Redemptoris hucusque **183** /: **centum et octoginta tres** :/ missiones piae pro plebe rurali et in oppidis mea ordinatione ac meo jussu habitae sunt.

**Ad omnes quaestiones mihi propositas animo sincerissimo, uti debeo, responsurus, omittere sane etiam non possum, quin ea, quae ad vigesimum quintum Consecrationis meae anniversarium festo S. Mathiae Apostoli, die 24. Februarii h. anni gesta et facta sunt, paucis tamen verbis significem<sup>102</sup>. Hoc enim festo, quo ante viginti quinque annos Ordinem Episcopatus suscepi et Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Episcopus Passaviensis constitutus sum, universus civitatis et Dioecesis Passaviensis Clerus atque populus fidelis tot tantaque pietatis et devotionis, amoris et adhaesionis mihi praebuerunt signa et documenta, ut maximo solatio summoque gaudio perfusus essem. Quam ob rem Literas gratulatorias tum ab omnibus Dioecesis meae Decanis, tum a magistratu et collegio communitatis urbis Passaviensis mihi exhibitas, in linguam [!] latinam translatas unacum rerum gestarum expositione publicis in foliis facta, necnon Epistolam pastorem ad Clerum dioecesanum a me datam praesenti Relationi adjungendas esse censi.**

**Ea vero, quae hisce in literis adjunctis ad laudem & gloriam meam dicta esse inveniantur, nullo sane modo mihi meisque meritis tribuo, sed ad Deum solum Ejusque gratiam refero, Ipsi maximas gratias agens pro omnibus beneficiis et donis, quibus Deus per viginti quinque Episcopatus mei annos me replere et forte quid boni in Ejus honorem et ad utilitatem sanctae Ecclesiae et Dioecesis faciendi facultatem mihi benignissime praebere dignabatur.**

### § III.

*De tertio relationis Capite ad Clerum saecularem pertinente.*

*I. An Canonici ceterique choro addicti Cathedralis Ecclesiae choro jugiter intersint?*

Ad <sup>mm</sup>: Omnes choro, nisi infirmitate et aetate impediti, diligenter intersunt.

---

<sup>102</sup> Siehe dazu: Schematismus Bistum Passau 1866, 213-221 („Feier des fünfundzwanzigsten Jahrestages der Consekration und Amtseinführung des Hochwürdigsten Herrn Bischofes Heinrich“); Hauptmann (wie Anm. 1) 107-114.

*II. An ultra matutinum, laudes ceterasque horas canonicas quolibet die celebrant Missam Conventualem eamque applicent pro Benefactoribus?*

Ad II<sup>dum</sup>: Cum regimen Ecclesiae Passav. susceperem, res ita se habuit, ut in choro tantummodo horae minores cum vesperis & completorio recitarentur. Matutinum et laudes vero quisque privatim recitabat. Nunc autem precibus et admonitionibus meis canonici et presbyteri choro addicti matutinum, laudes et horas minores in choro rite recitant, vesperas autem cum completorio privatim persolvunt.  
Missa conventualis a Canonicis & Dignitariis quotidie applicatur.

*III. An suas habeant Constitutiones et eas punctualiter observent?*

Ad III<sup>tium</sup>: Capitulum Ecclesiae Cathedralis observat rite constitutiones suas consuetas.

*IV. An qui obtinent praebendam Poenitentiarum et Theologalem adimpleverint, quae adimplenda sunt et quomodo?*

Ad IV<sup>tum</sup>: Canonici obtinentes Praebendam Poenitentiarum et Theologalem accurate et plene munera sua implent.

*V. An parochi in suis parochiis resideant?*

Ad V<sup>tum</sup>: Omnes diligentissime resident nec ulli licet sine nostra licentia, per plures dies abesse, pro quo casu iste, data etiam ex sufficientibus motivis dispensatione, de alio sacerdote, qui vices suas gerere capax sit, providere debet et eum nobis designare.

*VI. An librum Matrimoniorum et Baptizatorum et alios libros, quos ad Normam Ritualis Romani retineri debent, retineant?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Omnes retinent hosce libros. Inculcatur ipsis insuper, ut acta parochialia probe ordinata in aptato et separato scrinio observent, ne in mortis casu ab haeredibus vel iudicibus distrahantur.

*VII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent?*



Ad VII<sup>num</sup>: Major parochorum pars propter plebis numerum vel parochiae ambitum uno cooperatore, alii etiam pluribus indigent, alii propter infirmitatem vel senium cooperantis adiutorio utuntur.

*VIII. An iidem per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis ac festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis?*

Ad VIII<sup>vum</sup>: Pascunt diligenter, cum ad id obstrictissime non solum ipsi incitentur, sed etiam Decani sollicite desuper invigilare teneantur. Adjutores autem ac juniores sacerdotes ad finem anni et catecheses et conciones diligenter elaboratas scripto ad Consilium ecclesiasticum mittere tenentur, ubi scricte [!] censentur et pro merito dijudicantur.

*IX. An saltem dominicis aliisque festis diebus pueros fidei rudimenta doceant?*

Ad IX<sup>num</sup>: Parochi vel, iis legitime impeditis, eorum capellani tenentur bis in singulis hebdomadibus in scholis publicis tam pueros quam puellas in religionis scientia instruere et examinare, insuperque quoque in scholis festivis, quas pueri & puellae a XIII aetatis anno usque ad annum XVIII frequentare tenentur, eandem instructionem prosequi, ita ut ex hac parte doctrina christiana frequentius tractatur, quam alias solitum fuerat. Injunctum est praeterea parochis, ut in diebus dominicis loco humiliarum [!] vel concionum, catechetica instructionem secundum ordinem Catechismi Romani tradant et prosequantur, ita ut etiam adulti in cognitionem totius doctrinae christianae veniant, vel in ejus scientia consolidentur: hanc instructionem autem modo adultis magis conveniente, id est ad modum concionis vel homiliae proponant.

Insuper etiam tempore quadragesimae a parochis specialiter innupti & innuptae super sacramenta Confessionis et Ss. Eucharistiae, super neces[s]arios fidei articulos, super officia cujusque status etc. separatis hebdomadis diebus diligentissime in quaque parochia instruuntur ac examinantur. Quod ut diligentius, secundum cujusvis indigentiam, praestare possit, statutis diebus, eis non festivis, certus definitusque tantum numerus eorum, isque sat restrictus, convocatur, aliis ad alios definitos dies remissis.

*X. An singuli parochi ceterique curam animarum exercentes singulis dominicis et festis de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso?*

Ad X<sup>mum</sup>: Omnes parochi juxta praescriptum applicant, exceptis vero iis cooperantibus, qui sacra facere debent in ecclesia filiali, quum parochus pro tota parochia applicet.

*XI. An et quae praemittantur antequam quis ad Tonsuram et ordines minores admittatur, et an sacris ordinibus initiandi piis meditationibus vacent per aliquot dies in domo aliqua religiosa?*

Ad XI<sup>mum</sup>: Ad primam Tonsuram vel ordines minores admittendi afferre debent testimonium morum a proprio parochi, testimonium baptismatis & confirmationis unacum studiorum testimoniis; deinde sicut et ceteris ordinibus initiandi subire debent examen rigorosum, vel in pleno consilio ecclesiastico, vel quandoque a pluribus examinantibus synodalibus institutum. Exercitia spiritualia Ordinationi in hujus loci seminario praemittuntur.

*XII. An omnes praedicti vestes clericales deferant?*

Ad XII<sup>mum</sup>: Habitus clericalis & decens, unacum tonsura clericis et Presbyteris dignis cunctis stricte inculcatur et etiam defertur, perpaucis tantum aliquo modo deficientibus, qui tamen corriguntur.

*XIII. An habeantur Conferentiae Theologiae moralis seu casuum conscientiae etiamque sacrorum rituum et quod vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur?*

Ad XIII<sup>ium</sup>: Hae Conferentiae in ista Dioecesi nunquam fuerunt introductae, vel jam a longissimo tempore cessaverunt. Existimo magnam distantiam parochiarum a sede decanali, praesertim in montibus ultra Danubium hujus rei in causa fuisse. Medemur tamen huic defectui ex eo, quod neo-ordinati Presbyteri curaeque animarum exponendi pro cura non nisi ad annum adprobentur, et antequam id elabatur, novum examen apud constitutum Examinatorem subire coguntur, aliquae quaestiones etiam scriptae solvendae sunt, quae unacum Examinatoris iudicio ad nos mitti debent. Siquidem optima ad omnia fuerit responsio secunda vice non nisi ad biennium datur approbatio, quo elapso examen iterare eodem modo coguntur; deinde post triennium et tandem post quinquennium, ultra quod nullus approbari solet, nisi sit probatae scientiae et stabili beneficio profectus [!]. Ita fit, ut quisquis studia diligenter persequi

cogatur; quae autem de hac re sacra Congregatio rescripsit, simulac pos[s]ibile erit, exsequi studebo.

*XIV. Quinam sint mores Cleri saeculares, et an aliquot in eo adsit scandalum, quod indigeat remedio potentiori?*

Ad XIV<sup>tum</sup>: Longe major pars Cleri confirmat, quod praedicat, opere. Quum vero post saecularisationem per 23 ultraque annos nec seminarium adesset, nec Episcopus hic resideret, mirandum non sit, aliquos mundi illecebris captos a recta via declinasse. Ast, Deo adjuvante, mundabitur area, aliis paterna correctione, aliis severiori disciplina ad officium reductis; ceteris paterna vigilantia, praesertim autem institutione aptissima in Seminario episcopali recepta a lapsu cohibitis.

§ IV.

*De quarto relationis Capite ad Clerum regularem pertinente.*

Omnia monasteria Cleri regularis anno 1802 suppressa fuere. Quare hic de iis referri possent, jam supra § I de Ecclesiae statu quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt memorata.

§ V.

*De quinto relationis Capite ad Moniales pertinente.*

Parimodo Monialium claustra anno 1802 fuerunt suppressa. De his memorabilia supra § I quaestione 8<sup>va</sup> fuerunt allata. In omnibus monasteriis Virginum Anglicarum, in monasteriis sororum pauperum, scholas puellarum curantium, et in conventu sororum misericordiae secundum regulam S. Vincentii de Paula viventium, statuta rite servantur et clausura simul, in quantum ab horum ordinum regulis praescribitur, tenetur. Confessarius ordinarius earum nec non extraordinarius a me assignatus est. Visitavi jam saepius, nihilque inveni, de quo conqueri possim, sed ordo mojora [!] quotidie capit incrementa.

§ VI.

*De sexto relationis Capite ad Seminarium spectante.*

*I. Quot sint in Seminar[i]o Alumni?*

Ad I<sup>mum</sup>: In Seminario Clericorum 62, in Seminario puerorum 214 Alumni aluntur.

*II. An ecclesiastica disciplina recte instituatur?*

Ad II<sup>dum</sup>: Optime quidem per pios et eruditos Seminarii antistites et rectores.

*III. Quibus studiis vacent?*

Ad III<sup>ti</sup><sup>um</sup>: Repetuntur imprimis omnes principaliores theologiae partes, quas Alumni in publico Lyceo audierunt, ita ut vel neglecta suppleantur, vel defectuosa corrigantur. Vacant autem praeterea et principaliter Liturgiae et sacris ritibus, disciplinae morali et pastoralium casuum studio.

*IV. An Cathedrali & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant?*

Ad IV.: Omnibus diebus alumni majoris Seminarii chorum in Ecclesia Cathedrali frequentant, concioni et divino officio intersunt, huic etiam pro ratione suscepti ordinis inserviunt.

*V. An cum consilio duorum Canoniorum seniorum a me electorum necessaria pro recto regimine statuerim?*

Ad V<sup>tum</sup>: Statui cum consilio totius Capituli Ecclesiae Cathedralis.

*VI. An illud aliquando visitem et operam dem, ut constitutio adimpleatur?*

Ad VI<sup>tum</sup>: Diligentissime visito et vigilo, ut constitutiones Seminarii clericorum et puerorum strictissime observentur.

*VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur et an aliqui sint morosi in ejus solutione?*

Ad VII<sup>mum</sup>: Hanc taxam, ubi ex antiquo tempore constituta est, clerici exa[c]te solvunt, sed cum haec taxa minimi momenti sit, universus paene Clerus Dioecesis precibus, admonitionibus et postulationibus meis evocatus secundum praecepta sacrosancti Concilii Tridentini Seminarii clericorum et puerorum collectis convenientibus laudabiliter et large subvenit.

§ VII.

*De septimo relationis Capite ad Ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.*

*I. An in sacristiis omnium et singularum Ecclesiarum exposita sit tabella orerum [!] Missarum et Anniversariorum?*

Ad I<sup>mum</sup>: Asservantur dictae tabellae vel in sacristiis vel in archivo parochiali.

*II. An in confraternitatibus, scolis aliisque piis locis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta?*

Ad II<sup>dum</sup>: Observandum hic est, quod confraternitates, scholae et alia pia loca quoad temporalia subsint saeculari gubernio. Ceterum testatorum pia opera, si anniversaria sint, Episcopo semper confirmanda exhibentur, qua occasione pia testatorum opera exacte implere parochis gravissime injungitur, nec ab ulla confraternitate vel aliis locis piis ea adimplere omittitur, ubi fundatoris valor non perierit.

*III. An quolibet anno fecerim reddi rationes ab horum locorum administrationibus?*

Ad III<sup>tium</sup>: Uti supradictum est, administrationis rationem exigere Episcopo non licet, sed juxta patriae leges, soli brachio saeculari et Magistratibus incumbit.

*IV. An montem pietatis etc.?*

*V. An infirmorum hospitalia visitaverim et redituum rationes exegerim ect.?*

Ad IV<sup>tum</sup> & V<sup>tum</sup>: Ut dictum, in redituum et administrationibus ratione istae Communitates et montes pietatis magistratibus solis sunt subjecta.

§ VIII.

*De octavo relationis capite ad populum pertinente.*

*I. Quinam sunt populi mores et an pietate proficiat?*

Ad I<sup>mum</sup>: Negari non potest, populi mores vel legum indulgentia vel maxime bellorum praeteritorum exemplis pravis et hoc tempore spiritu seditionis subversionisque praecipue in civitatibus in multis fuisse corruptos. Ast populus maxime antiquae Patrum religioni et fidei ex corde adhuc adhaeret: et si Deus dederit, ut per restauratum Clericorum Seminarium digni, pietate, scientia praediti sacerdotes instituantur, sperari potest, Deo auxiliante, meliorem morum statum revocandum fore. De cetero omne studium et operam in his et aliis omnibus, quae ad officium meum spectant, impendere non omittam, atque Deo adjuvante confisus, nisi omnia

religionis et societatis vincula dirumpantur spero, castigatiores mores fore restabiliendos.

Inprimis clerus & populus hujus Dioecesis ultimis elapsis annis, in quibus in Germania ubique seditiones et tumultus adversus auctoritatem publicam erumpebant, omni laude dignissimum se exhibuit. Nam clerus morum probitate et gravitate, obedientia et reverentia erga ecclesiasticas leges et auctoritatem ecclesiasticam excellens ab omnibus insidiis et perturbationibus adversus civilem ac ecclesiasticam auctoritatem tunc comparatis ita omnino abstinuit, ut nec unus ex ordine clericorum hujus Dioecesis ob talem causam puniendus vel corrigendus existeret. Populus autem non minus ita pie et honeste se gessit, ut nec secta detestabilis Rongeanorum apud illum aditum aliquem sibi patefacere, nec ullus conventus politico-democraticus ne in uno quidem loco se constituere possit.

Quinimmo tunc temporis sicut et nunc populus Dioecesis pro piis operibus et splendore ecclesiarum magna & multa munera obtulit et Seminario puerorum, quod Deo adjuvante suscepto Dioeceseos regimine institui, ita largiter donis & oblationibus subvenit, ut anno currente circa trecentos pueros et juvenes in Seminario alere et educare possim.

Civitas autem Passaviensis, in qua sedes Episcopalis est, ita tranquillitatem, ordinem, reverentiam et obedientiam erga publicas auctoritates tam civiles quam ecclesiasticas conservavit, ut nec minima vel die vel nocte in illa perturbatio erumperet, ac quantum scio, haec paene unica major civitas in Germania est, quae nullis turbis politicis obstringebatur.

Quare Rex Bavariae Maximilianus II., **jam mortuus die 10. Martii 1864**, cum hanc partem Regni **Bavarici** visitaret, ob hunc rerum statum valde laetatus mihi ipsi dixit: „Se nunc expertum habere, catholicam religionem certissimum esse pignus fidei subditorum rega [!] personam suam Regiam. Si unquam res male evenirent, Passavii residere sibi proposuisse et illo tempore, cum ubique magnae perturbationes exorirentur, jam in eo fuisse, ut propositum hoc perageret.“<sup>103</sup>

*II. An aliquis irrepserit abusus aut prava quaedam consuetudo, quae consilio et adiutorio Sedis Apostolicae indigeat?*

---

<sup>103</sup> Vgl. dazu: Zacher (wie Anm. 1) 299.

Ad II<sup>dum</sup>: Nullus talis abusus vel consuetudo, custodiente Deo, in hac Ecclesia se[u] Dioecesi irrepsit.

§ IX.

*De ultimo relationis Capite ad Postulata spectante.*

*An postulata quaedam habeam pro regimine Ecclesiae mihi concredita proponenda?*

Sanctissimus Pater eas omnes facultates vi triennialium et quinquennialium praesertim mihi benignissime impertiri dignatus est, ut ad regendam Dioecesim confisam sufficientes mihi videantur.

Quapropter importunum judico, Sanctissimum Patrem pro amplicandis facultatibus precibus nullo fundamento nixis molestare.

Quoniam autem Ecclesiae navis novis itentidem procellis impetitur, si quae novae facultates ad regimen Ecclesiae requirentur, humillimas preces pro rerum circumstantiis adhibebo, et de Summi Pontificis innata clementia confido.

Paenultimam meam relationem anno 1857 ipse Romam attuli sacra Ss. Apostolorum limina personaliter visitans, quod et jam 1844 simili modo feci.

Hoc anno autem quam maximis laboribus, curis & operis pro salute Dioecesis Passaviensis impeditus, quo minus ego ipse hanc relationem Romam afferam & Apostolorum limina personaliter visitem, humillime deprecor, ut ob praedicta impedimenta per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a personali visitatione Sacrorum SS. Apostolorum liminum hac vice absolvar et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.

Ad hoc munus explendum Domino Presbytero Michaeli Gassner<sup>104</sup> pro tempore Rectori hospitii „dell anima” Romae versanti speciale mandatum dedi.

Ceterum spero, Dei spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus magis ac magis semper firmetur & incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et Sacri Concilii interpretibus, ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverendissime exosculor, meam erga

---

<sup>104</sup> Zu Michael Gaßner (1810-1883), von 1860 bis 1872 Rektor der Anima: Österreichisches Biographisches Lexikon 1 (1957) 409.

Ecclesiam Romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adiutorio confisus, iterate promitto, ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo, atque me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii interpretum

Passavii die VII Decembris 1865

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum Servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

### 1869

Relatio Status Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes, ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita. A. D. 1869.

Jam iterum ac saepius Eminentissimi et Reverendissimi Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Concilii Interpretes, maxima clementia mihi benignissime concedere et rescribere dignati sunt, omnino non necessarium esse, ut status materialis relationis iterato textatur et in proxima relatione inanem laborem mihi sumam eaque referre satis habeam, quae nova contigerint.

Quum praesenti tempore peracerbo et etiam periculoso morbo opprimar et – id quod maxime doleo – in perficiendis laboribus quoad corporis vires impediar<sup>105</sup>, licentiam mihi sumo, praefata clementissima concessione et indulgentia uti et brevi tantum descriptione praesentem statum rerum ecclesiasticarum in Dioecesi Passaviensi exponere.

Repetens priores meas Relationes quadriennales omni cum fiducia asseverare possum, statum rerum ecclesiasticarum in Dioecesi Passaviensi a tempore Relationis ante quatuor annos a me exhibitae omni ex parte modo mihi gratissimo et solatium magnum praebente allevatum, auctum atque amplificatum esse. – Eminentissimi et Reverendissimi Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales sane

---

<sup>105</sup> Zacher (wie Anm. 1) 558: „Seit 1868 stellte sich das schmerzliche Ohren- und Kopfleidn (Athritis in cervice) ein, das er jahrelang mit sich trug.“



maximo afficerentur gaudio de praesenti rerum ecclesiasticarum statu in Dioecesi Passaviensi, si eum, omnibus et singulis expositis, fusius describere possem.

Quod autem nova opera bona et utilia a me facta attinet, silentio tamen praeterire non possum, me ex eo tempore, quo ultimam Relationem exhibui, institutum condidisse pro centum plane omni ope destitutis et in summa mendicitate viventibus infantibus, quorum parentes vel ob delicta et crimina in carcere detinentur vel infantes suos ad mendicandum coegerunt vel otio vel peccato prodiderunt. Horum infantium cura et educatio et eruditio religiosae Virginum Anglicarum familiae a me commissa est. Eventus autem hujus instituti et fructus ejus manifesti et indubii jam usque adhuc gratissimi ac profecto salutare apparuerunt.

Quod vero ad ea spectat, quae secundum expositionem antecedentium Relationum, etsi omni studio et labore adhibito usque adhuc a me plane perfici non potuerunt, eo quod in hac ex prioribus temporibus post Saecularisationem, uti vocant, omnino neglecta et degenerata Dioecesi nimis multa in omnes et diversas partes ordinanda et instituenda et perficienda erant, tamen omnia quoad ea, quae adhuc perficienda restabant, a me ita sunt praeparata et disposita, ut ego finito sancto Concilio oecumenico, quod noster dilectissimus et Sanctissimus Dominus Pius Papa IX<sup>106</sup> die octava mensis Decembris hujus anni, uti in festo Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis et Deiparae Mariae inchoandum in Sanctam Urbem Romam solemniter convocavit<sup>107</sup>, decretis hujus Concilii oecumenici religiosissime et diligentissime servatis, adjutus divino auxilio, ad majorem Dei et sanctae Ecclesiae suae honorem atque ad augendam utilitatem Dioecesis mihi commissae, etiam ea, quae usque adhuc non sunt consummata, ad plenum et integrum effectum adducere posse sperem. Nam – Deus est testis et universa Dioecesis Passaviensis non ignorat – a triginta jam annis, ex quo tempore gravissimum et valde laboriosum Dioecesis Passaviensis administrandae munus suscepi, omni studio et labore assiduo semper et continuo, quin mihi vel viribus meis ullo modo pepercissem vel ullam quietem vel mentis relaxationem praeter eam, quam insuperabilis vis et potestas naturae admittere me coegit, mihi admisissem, omnia mea sancta officia et munia qua bonus Pastor gregis a Pastore divino mihi commissi fidelissime et religiosissime implere enixus sum.

<sup>106</sup> Zu Pius IX. (1792-1878), von 1846 bis 1878 Papst: Roger Aubert, Art. Pius IX., in: Lexikon für Theologie und Kirche VIII<sup>3</sup> (1999) 330-333.

<sup>107</sup> Zum Ersten Vatikanum (1869/70): Klaus Schatz, Vatikanum I (1869/70), 3 Bde., Paderborn-München-Wien-Zürich 1992-1994.

Relationem meam Romam bis ipse attuli, nempe anno 1844 et 1853, quum simul praescripta ecclesiastica observans sacra Ss. Apostolorum limina visitarem<sup>108</sup>.

Praesenti autem anno 1869 hoc officium implere omnino non possum ob morbum tam peracerbum quam periculosum, quem assiduis laboribus per triginta annos in exequendo gravissimo et difficillimo munere episcopali contraxi. Propter eundem morbum vocationem nostri dilectissimi et Sanctissimi Domini ac Patris Pii Papae IX sequi et ad Concilium oecumenicum Romam venire prorsus nequeo, uti patet ex literis supplicibus meis ad Sanctitatem Suam immediate humillime datis, quarum exemplum transsumptum adjacet et ex addito medicorum testimonio.

Itaque humillime et submississime rogo, ut ob morbum meum medicorum testimonio confirmatum per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a personali visitatione sacrorum Ss. Apostolorum liminum hac vice absolvar et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.

Ad hoc munus explendum Domino presbytero Michaeli Gaßner, Rectore hospitii dell'anima Romae versanti speciale mandatum dedi.

Ceterum spero, Dei spiritu adjuvante, me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio esse adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor et animarum salus, magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et Sacri Concilii Interpretibus ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverentissime exosculor, meam erga Ecclesiam Romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adjutorio confisus, iterato promitto ac me et gregem meum Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo ac me profiteor Eminentissimorum Patrum, Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii Interpretum

Passavii die VII Decembris 1869

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

---

<sup>108</sup> Siehe dazu: Zacher (wie Anm. 1) 300-307.

## 1873

Relatio de Statu Ecclesiae Episcopalis Passaviensis in Bavaria ad Eminentissimos et Reverendissimos Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Interpretes, ab Henrico Episcopo Passaviensi humillime exhibita A. D. 1873.

Jam iterum ac saepius Eminentissimi et Reverendissimi Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales, Sacrae Congregationis Interpretes, maxima clementia mihi benignissime concedere et rescribere dignati sunt omnino non necessarium esse, ut status materialis relationis iterato texatur, et in proxima relatione inanem laborem mihi sumam, eaque referre satis habeam, quae nova contigerint.

Quum praesenti tempore peracerbo et etiam periculoso morbo **adhuc** opprimar et – id quod maxime doleo – **etiam** in perficiendis laboribus quoad corporis vires **haud parum** impediatur, **praefata clementissima concessione et indulgentia uti et brevi tantum descriptione praesentem statum rerum ecclesiasticarum in Dioecesi Passaviensi exponere** licentiam **eo magis** mihi sumo, quam valetudo mea male et periculose affecta – scilicet vehemens et peracerba arthritis [!] in cervice – adhuc in eodem statu versatur quo prius, cujus indicium et mentionem feci, trium medicorum testimonio adjecto, in mea Relatione Quadriennali de anno 1869. Quinimo status valetudinis meae tum senescente aetate – mense Februarii anni proxime sequentis jam septuagesimum aetatis meae annum ingrediar – tum decrescentibus corporis viribus, sed in dies accrescentibus negotiis et laboribus, tum tristissimis temporum adjunctis et adauctis machinationibus, adversus sanctam catholicam Ecclesiam motis, **potius ingravescebat et deterior fiebat.**

Repetens **igitur** priores meas Relationes quadriennales omni cum fiducia asseverare possum, statum rerum ecclesiasticarum in Dioecesi Passaviensi a tempore relationis ante quatuor annos a me exhibitae **plurima** ex parte, modo mihi gratissimo et solatium magnum praebente, allevatum, auctum atque amplificatum esse. Eminentissimi et Reverendissimi Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales sane maximo afficerentur gaudio de praesenti rerum ecclesiasticarum statu in Dioecesi Passaviensi, si eum omnibus et singulis expositis fusius describere possem.

Quod autem nova opera bona et utilia a me facta attinet, silentio tamen **ea quae sequuntur** praeterire non possum.

Decreta sancti Concilii Vaticani post eorum promulgationem in Dioecesi Passaviensi ubique solemnissimo ac gravissimo modo publicavi et defendi et vindicavi, quocirca a Sanctissimo Patre in honorificae comprobationis signum peculiari numismate argenteo insigni ornatus et honoratus sum<sup>109</sup>.

Praesertim fidei doctrinam et dogma de Infallibilitate Summi Pontificis Romani, quam doctrinam catholicam ego jam ante plures annos prius in concionibus imprimis in ecclesia cathedrali Passaviensi a me habitis exposui et docui<sup>110</sup>, quod vero definitum dogma, uti notum est, nunc temporis in Germania multifariam impugnabatur et impugnatur, summo studio omnique contentione et gravitate tum coram Clero tum coram populo fideli defendi et propugnavi<sup>111</sup>.

In dioecesi mea – Deo sint grates! – ne unicus quidem sacerdos uti adversarius hujus sanctae doctrinae catholicae prodiit vel innotuit; imo nec ullus sacerdotum solam scandali vel suspicionis speciem prae se tulit.

Attamen nuper exorta secta Neohaereticorum (vulgo „Altkatholiken“)<sup>112</sup>, qui dogma de Infallibilitate Summi Pontificis negant et Concilium Vaticanum ejusque Decreta detrectando et reprobando impugnant, e principali Bavariae urbe Monacensi emanans potentibus fautoribus adjuta et saeva iracundia potentissimaque ope suffulta etiam in Dioecesim Passaviensem invadere contendit, quem ad finem proprius parochus neohaereticus, nomine Mazanec<sup>113</sup> ex Dioecesi Budovisiensi in Bohemia opulento annuo salario in episcopali civitate Passaviensi est constitutus.

Huic neohaereticorum sectae quoque contigit, ut tum auxiliis largitionum, munerum, promissionum atque variorum favorum praestitis, tum vexationibus et comminationibus in subditos vel ex arbitrio potentium et divitum praepositorum pendentes et mercenarios indigentes adhibitis, tum fraude, dolo, violentia, mendaciis calumniisque suffragantibus modicam asseclarum turbam in suas partes trahere posset. Ex civitate Passaviensi neohaeretici in aliis quoque Dioecesis meae locis

---

<sup>109</sup> Vgl. dazu: Ebd. 336.

<sup>110</sup> Ebd. 333: „... im Jahre 1863 in seinen Predigten die Unfehlbarkeit des Papstes in Glaubens- und Sittensachen dem Volke gelehrt.“

<sup>111</sup> Näheres ebd. 331-336.

<sup>112</sup> Zum Altkatholizismus allgemein: Johann Friedrich v. Schulte, Der Altkatholizismus. Geschichte seiner Entwicklung, inneren Gestaltung und rechtlichen Stellung in Deutschland, Gießen 1887 (Neudruck Aalen 1965); Victor Conzemius, Katholizismus ohne Rom. Die altkatholische Kirchengemeinschaft, Zürich-Einsiedeln-Köln 1967.

<sup>113</sup> Johann Mazanec (\*/+ unbekannt) war von 1872 bis 1874 erster altkatholischer Priester in Passau. Franz Mader, Tausend Passauer. Biographisches Lexikon zu Passaus Stadtgeschichte, Passau 1995, 155.

hanc sectam novam constituere et disseminare conantur<sup>114</sup>. In his paucis tamen locis praesertim autem in civitate Passaviensi pugna acerrima est orta, eo quod neohaeretici plures ecclesias catholicas ad eorum cultum sacrilegum exercendum rapere et usurpare conarentur, quibus in conatibus a potentibus et opulentis fautoribus sollicitati et pecuniis aliisque auxiliis adjuti sunt. Hac in acerrima pugna tam in civitate Passaviensi quam in aliis parochiis, omnibus remediis opportunis et licitis quibuscunque adhibitis, summa fortitudine et industria imo me ipsum prorsus in discrimen dans et objiciens restiti, quo factum est, ut – Deo maximas ago gratias – isti periculosi et potentes Neohaeretici toto tempore quo haec pugna durat, ne unicam quidem ecclesiam sive capellam, nec ullum altare aut ullam cathedram pro cultu neohaeretico exercendo sibi vindicare possent; itaque in tota Dioecesi Passaviensi nec ulla ecclesia vel capella nec ullam altare aut ulla cathedra existit quam vel quod cultu sacrilego neohaereticorum ne semel quidem abutendo violari contigisset. Spero autem, me Deo adjuvante hac in pugna studiosissime a me excepta et sine ulla intermissione assidue continuata optimum et desiderio exoptatum eventum sive exitum in futurum tandem consecuturum esse, praesertim quum Neohaeretici ubivis in Dioecesi Passaviensi omni ex parte receptui ac fugae se mandare incipiant.

Causa principalis hujus turbulentae a Neohaereticis in Dioecesim Passaviensem excitatae tempestatis fuit eorum auctor et caput, scilicet Praepositus Doellinger<sup>115</sup> Monachii, qui meus inimicus infensissimus est jam ex anno 1848, quum ego in conventu Germaniae Episcoporum Herbipoli<sup>116</sup> habito consiliis ab eo jam tunc patefactis de constituenda Ecclesia Nationali Germaniae, de dissolvenda solemnii Conventione a Rege Bavarico cum Sancta Sede Apostolica anno 1817 inita, de electione Episcoporum, Dignitariorum, Canonicorum et Parochorum a populo facienda etc. victor fortiter repugnando obstarem, quamvis in Clero, imo in conventu Episcoporum haud parvus numerus cum eo consentiret. Haec ejus consilia

---

<sup>114</sup> Siehe dazu: Zacher (wie Anm. 1) 352-394; Rutz (wie Anm. 1) 160-162. – Vgl. zum Folgenden auch Hans Hösl, Passau in den kirchenpolitischen Auseinandersetzungen Bayerns 1868-1875. Wissenschaftliche Arbeit im Rahmen der Ersten Staatsprüfung für das Lehramt an Gymnasien, Würzburg 1980, 122-145, 220-236; Michael Winichner, „Die Unterzeichneten verwerfen die Unfehlbarkeit des Pabstes“. Die alt-katholische Gemeinde von Simbach a. Inn, Bonn 2009.

<sup>115</sup> Zu Ignaz von Döllinger (1799-1890): Franz Xaver Bischof, Theologie und Geschichte. Ignaz von Döllinger (1799-1890) in der zweiten Hälfte seines Lebens. Ein Beitrag zu seiner Biographie, Stuttgart-Berlin-Köln 1997.

<sup>116</sup> Zur Würzburger Bischofskonferenz von 1848: Wolfgang Vogl, Die bayerischen Bischofskonferenzen 1850-1918, 1. Teil, Regensburg 2012, 47-53.

periculosa jam ante multos annos plane perspexi; ideoque multum ac diu praemonui, ne quis fidem ei haberet, sed frustra; quia iste vir doctus glorioso literarum et scientiae nimbo succinctus effulsit, donec anno 1870 simulationis specie deposita auctor et caput sectae Neohaereticorum appareret.

Praefatam in Dioecesim Passaviensem tempestatem commatam alia quoque procella secutura erat, scilicet Socialismi et Communismi asseclarum, qui jam nunc in omnibus amplioribus Bavariae urbibus societates et conjunctiones habent, publicos coetus faciunt atque in quantum possunt agitando machinantur. Nimirum nepos quidam infelicis et famosi haeresiarchae Doellinger, Praepositi Monacensis, erat destinatus, ut in civitate et Dioecesi Passaviensi Socialismum et Communismum propagaret et constitueret.

Iste dux Socialismi et Communismi asseclarum, nomine Ludovicus Richardus Zimmermann<sup>117</sup>, qui cum praefato Praeposito Doellinger se cognatum et eo favente in civitatem Passaviensem missum esse gloriatur, atque titulum nomenque „Literati“ gerit, homo est astutissimus et ad exequenda consilia sua artibus et literis omnimodo eruditus et proinde eventum suis consiliis utilissimum efficere potuit.

In Austria praesertim in civitate Graeciensi, ubi per longum tempus versabatur, praefatus vir seditiosissimus Gubernio Austriaco summum periculum comparavit, dum Graecii plebis seditionem et rebellionem conflabat, ad quam comprimendam militum turmas convocari necesse erat, eo quod turbae operariorum ei omnino adhaerebant. Quum vero Ludovicus Richardus Zimmermann alienigena esset (natus in Hassia), a Gubernio Austriaco ex Austriae finibus est expulsus et transportatus, et a parte non ignata in Dioecesim et civitatem Passaviensem missus, quo in loco ad exequenda sua consilia nequissima domicilium et sedem suam collocavit. Civitas Passaviensis vero sedes et locus rerum ab isto homine inferno gerendarum esse vel fieri destinata erat.

Inprimis ephemeris Passavii edita, quae „Passauer-Zeitung“<sup>118</sup> vocatur – quam expressa sententia et episcopali edicto sive epistola pastorali die 23. Junii 1871<sup>119</sup> a me data et in universae Dioecesis Passaviensis ecclesiis parochialibus a Clero

<sup>117</sup> Zu Ludwig Richard Zimmermann (+ 1887): Biographisches Lexikon des Kaiserthums Oesterreich 60 (1891) 128f. – Vgl. auch ABP, OA Generalakten 7099 („Die antikirchliche literarische Wirksamkeit des Ludwig Richard Zimmermann (1872-1873)“).

<sup>118</sup> Siehe dazu: Thomas Heller, Untersuchungen zur Passauer Pressegeschichte. Das Passauer Zeitungswesen von 1785-1890, Passau 1986.

<sup>119</sup> Oberhirtliches Verordnungsblatt für die Diözese Passau 1871, 91f („Hirtenbrief, Verbot der Passauer Zeitung betr.“).

publice promulgata a fidelibus Dioecesis legi vel haberi interdicendo vetabam – delecta et designata est, ut quotidie ignominiosissimis injuriis et calumniis in Ecclesiae catholicae doctrinam et instituta, in Clerum, praesertim in Summos Pontifices Romanos, quorum vitae et gesta longa impiissimarum et fallacissimarum insectationum serie describebantur, impetum faceret.

Accedunt quoque libelli a praefato Ludovico Richardo Zimmermann tum praesenti, tum priore tempore magno numero editi, qui nequissimis blasphemis in Deum ipsum et vesanis calumniis in Ecclesiam catholicam, Pontifices Romanos, Episcopos et sacerdotes catholicos etc. scatent. Isti libelli penitus nefarii – de quodam praecavente vel prohibente remedio contra eos ex parte legis civilis vel magistratus publici nulla fuit mentio – numero multorum millium, praesertim in vicina Austria, divulgati sunt. Hic sceleratus vir, Ludovicus Richardus Zimmermann in tota Styria fundamenta rei publicae tantopere evertit, ut Graecii demum ante paucos dies a Gubernio Austriaco jus puniendi juxta leges militares, non civiles, pro tota Styria publicari deberet. Quum praedictus auctor libellorum Ludovicus Richardus Zimmermann die prima Januarii 1871 ex tota Austriaco Imperio expulsus comitante vilissima sua concubina Passavii domicilium constituisset, sola in civitate episcopali Graeciensi decem millia „liberorum pensatorum” sibi attraxisse gloriabatur, id quod verum est, sicuti supra ostendi, dum plebis turbas ad se trahens alliciebat simul se jactans, civitatem et Dioecesim Passaviensem mox asseclis et discipulis ejus redundaturam esse et se, uti in Styria, hic Passavii pariter a plebis turbis duces et praefectum electum iri. Quinimo ex Styria in Austria literae gratias referentes ad eos Passavii degentes sunt missae, qui eum Passavium venientem benigne susceperunt. Sed Ludovicus Richardus Zimmermann et amici ejus decipiendo se fefellerunt omnisque spes et exspectatio in civitate et Dioecesi Passaviensi collocata in vanum et irritum redacta est. Nam auctoritas et potestas episcopalis mea, verbo et exemplo, crebris concionibus in ecclesia Cathedrali Passaviensi, assiduis admonitionibus meis, praecipue multis et largis donis et muneribus exhibita, atque cura mea et peculiari sollicitudine omni ex parte praesertim operariis et pauperibus opificibus et mercenariis vilioris generis impensa quoad illos, quibus etiam plurimam dedi occasionem, labore et industria manuum et inde proveniente mercede victum quotidianum sibi comparandi, tam potens et efficax est, ut iste homo seditiosissimus et revera deputatus inferi, scilicet Ludovicus Richardus Zimmermann, cum sociis suis ab anno 1871 usque adhuc quoad operarios et opifices pauperes mihi omnino



adhaerentes ne minimum quidem efficere, nec ullum plebis conventum, imo nec ullam etsi minimam societatem instituere posset, quamvis Socialismi et Communismi asseclae ubique in totius Bavariae et Germaniae urbibus amplioribus hujusmodi societates valde periculosas et conventus perniciosas habeant. Civitas et Dioecesis Passaviensis talium societatum et conventuum profecto ex inferno exorientium, tametsi eorum dux et fautor principalis, Ludovicus Richardus Zimmermann, omni interposita machinatione et contentione moliretur, usque adhuc omnino expers et intacta permansit, id quod potissimum singulari Dei gratiae et misericordiae atque potenti protectioni et intercessioni beatissimae et immaculate [!] conceptae Virginis et Deiparae Mariae maxima cum gratiarum attribuo!

Quod porro spectat ad illud Institutum prope Passavium pro egenis omnique ope destitutis liberis suscipiendis et educandis a me conditum, cujus in Relatione mea anno 1869 mentionem feci, laeta sane cepit incrementa et convalescit; ceterum idem anno sequente adhuc majori quo hactenus gaudebat modo amplificabo. Orationes et preces ab his liberis pauperibus grato animo effusae profecto et manifesto divinis cum benedictionibus et beneficiis pro Dioecesi Passaviensi sunt conjunctae!

Hanc vero jucundam rerum secundarum narrationem tristissimus sequitur nuncius videlicet de expulsione religiosae Congregationis Sanctissimi Redemptoris ex Dioecesi Passaviensi vi legum sat notarum novi Germaniae Imperii<sup>120</sup>.

Innumeris meis ac studiosissimis laboribus omni ex parte impensis a Bavariae Rege Ludovico I. anno 1841 obtinui facultatem, hanc Congregationem in Bavariam vocandi eique magnificam sacerdotum curam peregrinorum pastorem exercentium domum in clarissimo sacrarum peregrinationum loco, scilicet Vetere-Ottinga, tradendo deferendi unacum splendida ecclesia, amplis aedibus et hortis atque cum largis redditibus ad sustentandos viginti quatuor Congregationis Presbyteros et pro suscipiendis apta in domo novitiis. Ex Vetere-Ottinga [!] Dioecesis Passaviensis emanans Congregatio Sanctissimi Redemptoris tunc in totam Bavariam et Germaniam est diffusa et propagata. – Quum autem Deo adjuvante hanc victoriam pro communi bono vix tandem reportassem, mox insectatio et persecutio adversus hoc religiosum institutum maximi momenti undique est exorta. Jam anno 1846 Congregatio Sanctissimi Redemptoris in maximum discriminis periculum incidit. – Anno 1847 Rex Ludovicus I. hanc Congregationem decreto regii Gubernii abolitam et

---

<sup>120</sup> Näheres bei: Weiß (wie Anm. 56) 302-336.



dissolutam esse declaravit, quapropter jam nunc regii deputati et officiales, in Veterem-Ottingam missi, ibidem fuerunt, ut hoc abolitionis decretum, cui ipsi Congregationis rectores se subjecerunt et subscripserunt, actu exequerentur. Confratres Congregationis utique suppelectilem suam in fasciculos colligaverant, ut ex Vetere-Ottinga, imo ex Bavaria et Germania discederent, sicuti jussi erant. Deus autem peculiarem mihi dedit gratiam, qua adjutus provida cautaque prudentia et enixis precibus Regem Ludovicum I. ita commovere poteram, ut praefatum abolitionis decretum ac mandatum neutiquam ad effectum adduceretur et Congregationi in Vetere-Ottinga rursus permanere permetteretur.

Regnante successore et filio ejus Maximilianus II. iterum procella, tametsi celeriter praeteriens, adversus Congregationem est exorta; postea autem eidem Congregationi ipse tam benevolus factus est, ut ea in Bavaria majorem in dies disseminationem reperiret.

Cum adversus Congregationem Sanctissimi Redemptoris nuper dira persecutio et insectatio omnibus nota concitata esset, revera omnibus quae mihi praesto sunt exhibitis consiliis et rationibus et remediis nihil inexpertum omisi ad commovendum praesentem Bavariae Regem Ludovicum II., ut hanc Congregationem Sanctissimi Redemptoris in Bavariae regno tueretur et sustineret. Per aliquot menses spes quoque optima exstitit, fore ut Majestas Sua Regia precibus meis benigne indulgeret; quin etiam regii Administrum suprema negotia publica in Bavaria gerentes a Rege mandatum acceperant, ut ipsi in conventu consiliariorum a singulis Imperii Germaniae deputatorum Berolini habito pro hujus Congregationis sociis sive confratribus sustinendis et conservandis suffragia ferrent et vota facerent, id quod illi etiam fecerunt.

Nihilominus inopinato valde deplorandus advenit nuncius, abolitionem et dissolutionem et expulsionem Congregationis Sanctissimi Redemptoris etiam in Bavaria et in Vetere-Ottinga ratam nunc irrevocabili sententia et decreto et lege Germaniae Imperii sancita certissime esse constitutam. Ad hoc abolitionis et expulsionis decretum constituendum, quod omnem operam et contentionem et spem meam in vanum et irritum redegit, multam ansam praebuit illa agitatio et machinatio, quae bona quidem intentione in favorem Congregationis concepta sed imprudenti ac inepto modo peracta a quibusdam, quibus ex vindicta et odio plaga pessima infligi voluit!

Vacuae et inanes nunc exstant pulcherrima ecclesia et aedes monasterii cum amplis hortis et domus Novitiorum et domus pro exercitiis spiritualibus habendis destinata – prope inclytum Beatissimae Virginis Mariae Sanctuarium in Vetere-Ottinga –, derelictae et desertae a filiis Sancti Alphonsi de Liguori, Doctoris Ecclesiae, Episcopi et auctoris Congregationis Sanctissimi Redemptoris, qui has aedes usque adhuc ad usum possederant atque indefesso ac assiduo labore pro salute animarum fovenda et adaugenda operati erant.

Tanquam pater filiis suis orbatus mostissimo animo aspicio in desertum sanctuarium Ottinganum, – Officium autem et munus meum episcopale mihi non permittit ut ob vehementissimum dolorem meum debitam curam et sollicitudinem negligam, sed potius necessario studio pro augendo Dei honore, pro colenda devotione erga Beatissimam Virginem et Deiparam Mariam atque pro animarum fidelium salute consulenda obligatum me esse sentio, ut restituendo huic Sanctuario, Beatissimae Virgini jam ex antiquissimis temporibus dedicato et innumeris a Deo praestitis beneficiis et gratis ornato, omnem quam potera curam impendam et prospiciam.

Adhibitis igitur continuis meditationibus et effusis precibus ad Deum flagrantissimis una cum valde austero jejunio aliisque poenitentiae et mortificationis operibus, largissimis eleemosynis in pauperes distributis atque donis ac muneribus quam maximis in altari Dei oblatis deinde consilium cepi, ut Ordinem discalceatorum Carmelitarum – qui jam ab antiquissimis temporibus Beatissimam Virginem et Genetricem Mariam maximo studio et honore colere et venerari solet, – in Veterem-Ottingam vocarem eidemque plenam curam animarum et jurisdictionem pastorem quoad innumeros undique ad illud inclytum Sanctuarium peregrinantes et totum omni ex parte administrandum munus et officium necnon omnes et singulas supra memoratas aedes, item redditus et proventus designatos traderem et committerem<sup>121</sup>.

Attamen ad hoc consilium licite ac rite exequendum prorsus indigeo quoque expressa et speciali licentia et facultate a Gubernio regio, nominatim et singillatim ab ipso Rege Ludovico II. mihi concedenda; nam sacratissima Capella in Vetere-Ottinga ab antiquitus Capella regia est, circa quam et singulas ad eam pertinentes aedes et possessiones ecclesiasticas unacum institutis annexis Principes Bavarici plenum jus Patronatus exercere solent.

---

<sup>121</sup> Vgl. Zacher (wie Anm. 1) 206. – Zu den Unbeschuheten Karmeliten: Georg Schwaiger (Hg.), Mönchtum, Orden, Klöster. Von den Anfängen bis zur Gegenwart. Ein Lexikon, München 1993, 273-277, hier: 276.

Utique patet, quam difficile opus sit, ipsa nostra aetate, qua monasteria destruuntur, religiosae Familiae dissolvuntur et dissipantur, atque monachi expelluntur, intra Germaniae Imperii fines ab ullo Principe et Gubernio civili et publico obtinere facultatem constituendi et erigendi hanc novam institutionem cum religiosa familia et communitate tam austeri et ascetici Ordinis, qualis est Ordo discalceatorum Carmelitarum.

Jam vero expressis verbis palam est pronuntiatum, fore ut munus curae spiritualis peregrinantium institutum in Vetere-Ottinga paucis dumtaxat presbyteris saecularibus conferretur, idque sub angustissime limitatis conditionibus; nonnulli enim divites laici jamnunc consiliis initis intenderunt, ut amplas monasterii sive coenobii aedes cum hortis annexis emerent, in cauponam mutarent atque ibidem grandem latamque officinam cerevisiae coquendae construerent.

Sed ecce! apud Deum intercedente Beatissima et sine labe concepta Virgine et Deipara Maria omnia sunt possible!

Nimirum propositiones meae et postulationes de conferendo munere et instituto presbyterorum curam animarum exercentium in Vetere-Ottinga presbyteris Ordinis discalceatorum Carmelitarum, tum a Gubernio regio et a competente supremo Ministerio regio, tum a Majestate Sua Rege Ludovico II. benigno favore sunt exceptae, et ideo firma spe in Deo collocata confido, fore ut initio novi anni sequentis 1874 patres Ordinis discalceatorum Carmelitarum in monasterii aedes, in quibus confratres Congregationis Sanctissimi Redemptoris ab anno 1841 usque adhuc habitaverant, ad suscipiendam et exercendam curam spiritualem peregrinantium ad celebratissimum Sanctuarium in Vetere-Ottinga summopere a me desideratum introitum habeant – in majorem Dei gloriam, ad laudem et honorem Beatissimae Virginis ac Genetricis Dei Mariae ad singulare decus sanctae Ecclesiae catholicae romanae, in aedificationem et solatium et salutem populi fidelis Bavariae!

Relationem meam Romam bis ipse attuli nempe anno 1844 et 1853, quum simul praescripta ecclesiastica observans Ss. Apostolorum limina visitarem.

Praesenti autem anno 1873 hoc officium implere omnino non possum ob morbum et malum meum arthricum quod est in tota Dioecesi Passaviensi notorium.

Itaque humillime et submississime rogo, ut ob hoc malum et morbum meum per gratiosam dispensationem Sanctae Sedis a personali visitatione sacrorum Ss. Apostolorum liminum hac vice absolvar et mihi benigne concedatur, ut eandem visitationem per mandatarium praestare valeam.

Ad hoc munus explendum **et procurandum Domino Giovanni di Montel<sup>122</sup>, Advocato Curiae Romanae** Romae versanti speciale mandatum dedi.

Ceterum spero, Dei Spiritu adjuvante me usque ad ultimum vitae spiritum omni studio esse adlaboraturum, ut fides catholica, ecclesiastica disciplina, Dei honor animarumque salus magis ac magis semper firmetur et incrementa semper capiat majora.

Denique Eminentissimis Patribus et Sacri Concilii Interpretibus ac per eos Sanctissimo Patri, cujus sacros pedes reverendissime exosculor, meam erga Ecclesiam Romano-catholicam obedientiam et fidem, Summi Dei adjutorio confisus iterato promitto ac me et gregem meam Eminentissimorum Patrum clementiae et favoribus humillime commendo ac me profiteor Eminentissimorum [!] Patrum Ecclesiae Romanae Cardinalium et Sacri Concilii Interpretum

Passavii die XXX Novembris 1873.

humillimum, obsequentissimum ac devotissimum Servum  
+ Henricum, Episcopum Passaviensem.

---

<sup>122</sup> Zu Johannes Montel von Treuenfest (1831-1910): Severino Vareschi, Art. Montel von Treuenfest, Johannes, in: Neue Deutsche Biographie 18 (1997) 48f.